



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies nonus et decimus continentur

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1925

De S. Iohanne Presbytero Abbate Montis Bizan In Aethiopia Commentarius
Praevius

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72556](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72556)

DE S. IOHANNE PRESBYTERO

ABBATE MONTIS BIZAN IN AETHIOPIA

ANNO 1449

COMMENTARIUS PRAEVIUS

P. P.

Iohannes Bizanius, 1. Ex quo rerum Aethiopicarum investigator sollers Iob Ludolfus, anno 1691, Fastos sacros ecclesiae Aethiopicae ex Habessinorum libris a se concinnatos edidit (1), eruditus iis quidem qui orientalem barbariem penitus ignorare non malebant, innotuit Iohannes quidam presbyter, cuius festum annuntiatur die 13 mensis chedar, novembris autem 9. Ad sancti nomen haec annotabat idem vir doctus: « comparatur Eliae; monasterium vero eius በዘን : Bizan, in Midra-Bahr situm Thisbae unde Elias Thisbites » (2). Tam tum vero, a multis annis, sin minus ex litteris historicisque manuscriptis sacerdotum e Societate Iesu qui in Aethiopia vixerant (3), saltem ex libro P. Bathazari Tellez, an. 1660 Conimbriae edito (4), constabat coenobium Bizan, in iugis montium provinciae Tigrā situm esse, itinere unius diei a portu Massaua, in eoque sedes habere monachos ex illius Eustathii discipulis, qui saeculo XIV in Aethiopia monasticam observantiam innovavit (5). Nemini igitur umquam dubium esse potuit quin alumnus coenobii Bizan, quisquis ille fuit, ad confessionem monophysiticam pertinisset (6). Sed ut alias contigit, dormitaverunt censors qui eius peregrinitati vigilantes non conrissent. Iohannem Bizanium in martyrologio suo recepit Castellanus (7); quem more suo excerpserunt compilatores recentiores (8). Ad nos non pertinet ex isto pleromate inquitinos exturbare qui non legitimo delectu fuerint asciti. Ceterum etsi nostro quidem iudicio praedictus Iohannes inter sanctos ecclesiae universalis referendus non erat, in litteris tamen hagiographicis eius Vita neglegi non potest, cum qua plurima coaeruerunt quae ad historiam monasticam orientalem proprie pertinent et ex Patrum Aegyptiorum historicis quoquo meatu derivata fuerunt.

Eius Vita 2. De ipso homine, prope ad hodiernum usque

diem vix aliud notum fuit praeter nomen. Neque hanc ignorantiam, qua nemo angere videbatur, quisquam depellere facile potuisset. Umbrae tandem illi corpus accessit, cum an. 1899 v. d. Carolus Conti Rossini prope Asmaram in Erythraea in rustica ecclesiola Vitas S. Philippi et S. Iohannis repperit (9), quarum primam integram alteram vero locis aliquot praetermissis in Regiae Academiae Italicae commentariis divulgavit (10). Ambo documenta, aethiopico sermone stiloque conscripta, e coenobio montis Bizan certissime provenerunt, cuius exordia primaque incrementa referre existimantur. Sed quamquam utriusque origo una et commune argumentum fuit, tantum abest ut eandem sive historiam sive fabulam exhibeant, iis etiam locis ubi homines iidem eadem agentes utrobique inducuntur. Proinde nisi ambae pariter Vitae fide carent, alterutra cum rebus narratis fuit saltem antiquitate coniunctior. Ut autem cernatur utra propius ad verum accedat, primo loco dispiciendum est quid ex ambabus citra controversiam colligi possit.

3. Philippi quidem Vita pertinet ad genus quoddam singulare laudationum panegyricarum. Divisa est in capita undecim, quibus singulis, inde a secundo, praescriptum est nomen mensis, a mense sequentem (octobris) ad hamle (iulium). Inde iam patet quo artificio scripta fuerit. Eius autem argumentum, quatenus ad praesentem quaestionem spectat, sic paucis comprehendere potest. Philippus natus est defuncto iam eius patre Ierdeana Egzie (11), nobili viro de gente አያንሩ : Ijāncarē (12). Magdalena eius mater eum inde a tenella aetate ad vitam monasticam destinavit. Quae cum ipsa in asceterium se recepisset, puer quoque in solitudinem recessit, et apud Bacimum, በከጥስ : (13), Eustathii discipulum (14), consedit. Post a Bacimo discedens ad abbatem Samue-

(1) Iobi LUDOLFI, *Ad suam historiam Aethiopicam commentarius* (Francofurti ad Moenum, 1691), p. 398. — (2) *Ibid.*, annot. (e). — (3) Cf. C. BECCARI, *Rerum Aethiopicarum scriptores Occidentales inediti a saeculo XVI ad XIX*, t. XV (Romae, 1917), p. 66; ubi locos indicatos habes ex operibus litterisque Petri Paez, Emmanuelis de Almeida, Emmanuelis Barradas, Alphonsi Mendez, Aloysii de Azevedo, aliorum. — (4) *Historia geral de Ethiopia a alta*, l. I, cap. 35, p. 87. — (5) Cf. *Anal. Boll.*, t. XXVI, p. 370. — (6) Coenobiarcham aliquem Montis Bizan cum nonnullis ex eius monachis fidem catholicam amplectum esse narrat Thomas Barleto in litteris ad P. Stephanum da Cruz Maigoga datis d. 12 martii an. 1627. BECCARI, op. c., t. XII (1912), *Relationes et epistolae variorum*, pars I, lib. III, p. 183-84. — (7) *Martyrologe universel*, ad d. 9 novembris. — (8) Ipsi decessores nostri haud minore indulgentia usi sunt cum SS. Arethae Kievocryptensi et Simoni episcopo Vladimiriæ et Suzdal locum darent (Oct. t. X, p. 863-83); immo etiam omnium Aethiopum maxime Aethio-

pi Tacla Hajmānot, cuius tamen satis infelici conatu personam mutare voluerunt (Oct. t. XII, p. 383-90). — (9) *Bollettino della Società Geografica Italiana*, ser. 4, t. I (1899), p. 115. — (10) *Il Gadla Filpos e il Gadla Yohannes di Dabra Bizan*, in *Atti della R. Accademia dei Lincei*, ser. 5, Memorie, t. VIII (1903), p. 62-170. — (11) I. e.: nos iuvet Dominus. — (12) Vita, CONTI ROSSINI, t. c., p. 71. De gente Ijāncarē vide annotationem editoris, *ibid.*, p. 154. — (13) Aethiopicam hanc depravationem esse nominis S. Iohannis Chama, sive « Nigri » coniecit Boryssus TERAEV, *Исследование въ области агиологических источниковъ исторіи Эіопіи* (Petropoli, 1902), p. 201 et seq. CONTI ROSSINI (t. c., p. 154) ductum nomen existimat a ያገገገገገ (lege: ያገገገገገ), de quo BHO., p. 218. Neutrum liquet. — (14) In Vita Philippi septem generationes spiritales numerantur ab Antonio Magno ad Bacimum. CONTI ROSSINI, t. c., p. 78-79. Vide duo stemmata quae confecit ipse Conti Rossini, *ibid.*, p. 157 et seq. Eius modi

nuper detecta

cum Vita Philippi eius magistri

E

F

-lem

AUCTORE P. P. *lem se applicavit in solitudine quae dicebatur Afa Gaḡgāh (1). Deinde relicto item Samuele, secessit in solitudinem Baracā, quae appellatur 'Abīl Vagr, 𐩀𐩢𐩪 : 𐩀𐩪𐩠 : (2). Sedem magistrumque subinde mutavit, per incultas regiones vagatus est, donec triginta amplius annos natus, discipulos aliquot sibi adiunxit, cum quibus novum coenobium condere decrevit. Huius locus duobus exploratoribus quos praemiseraat divinitus ostensus est in monte Bizan. Illuc igitur contendit Philippus; monasterium aedificavit titulo Sancti Michaelis archangeli, in quod magnam discipulorum multitudinem ex orphanis praesertim collectam brevi congregavit; ibidem ecclesiam B. M. Virgini dedicavit. Suorum monachorum labore vicinas solitudines excoluit, quae in fertiles agros mutatae sunt. Crescente in dies coenobio, per universam Aethiopiā Philippi fama increbruit, ad quem undique principes et populi animos convertere coeperunt. Ipse insularum Dahlak (3) princeps mohammadanus reverentiae et amicitiae causa **B** legalos ad eum misit. Longius etiam in interiorem regionem Philippi auctoritas se extendit. Nonnullae tribus gentis Bariorum, quae ad septemtrionem Habessiniae, infra Nubiam incolunt, ab eius discipulis ad fidem christianam conversae sunt. Inter eas aut apud aliam gentem mohammadanam colonia e monte Bizan deducta novum coenobium condidit. Brevi tamen haec prosperitas rebus adversis perturbata fuit. Legibus suis monasticis, quas ex Pachomii regula (4) praesertim desumpserat, Philippus Eustathii disciplinam secutus, ritus quosdam iudaicos admiscuerat, imprimisque sabbati observantiam: hanc tam importuno cum studio passim omnibus inculcavit, ut Davidis (5) regis et Bartholomaei metropolitae (6) indignationem in se concilaret. Itaque ad urbem regiam manu militari accessitus est ut coram metropolita causam diceret. Discipulum suum Iebārcana-Crestos (Benedicat nos Christus) vicaria potestate coenobio praefecit; ipse vero ad urbem regiam se contulit, ubi accusatores eius multis eum criminibus apud Bartholomaeum oneraverunt. Qui cum eius mentem nullis neque argumentis neque saevitibus flectere potuisset, in Ḥaiḡ (7) lacus insulam eum relegavit. Aliquot illic annos Philippus egit, donec rex David, mutata sententia, eum ab exsilio revocavit. Sed hanc veniam pertinaciter inhibuit regius sacrorum curator (8), nomine Saraqa Berhān (sive: Orta est lux), qui iuraverat illum e custodia non exiturum et ne mortui quidem eius ossa inde elatum iri. Postquam tandem eius inimicus portentoso morbo e vivis sublatus fuit, Philippus ab exsilio redire permissus est. Non tamen ad montem Bizan recta perrexit, sed per quattuor annos in provincia Amḡarā mosaici sabbati redintegrationem praedicavit. Demum ad suos rediit, in coenobii administratione breve tempus transegit. Obiit octogesimo quarto aetatis anno, cum successore sibi Iohannem nostrum designasset. Haec fere Vitae scriptor, barbara cum facundia persecutus est, adiecta portentorum incondita multitudine, quae narrationis fidem non parum minuunt. De chronotaxi huius historiae inferius erit dicendi locus.*

D

4. Cum Philippi gestis proxime conserta est Iohannis Vita, cuius summa capita nunc adumbramus. Oriundus hic fuit e Sire provincia interioris Aethiopiae, inter urbem Axum et Tacaze fluvium (9); in qua eius avus nomine Qaso, vir potens et nobilis, incolebat, in loco qui dicitur Achsea, 𐩀𐩪𐩠𐩪 (§ I). Is civium invidia solum mutare coactus in Bur provinciam migravit, ibique novam villam aut latitudinum condidit, quod in

E

Iohannis patria et genus.

C *fabulis et genealogiis Aethiopes plurimum delectantur. Vide R. BASSET, Les règles attribuées à S. Pakhōme (Paris, 1896), in Les Apocryphes éthiopiens, t. VIII, p. 15-19. Quanto cum studio familiarum suarum origines hodieque soleant Aethiopes in puerorum memoriam inculcare, testatur Iohannes Kolmodin, qui domesticae huic scholae persaepe interfuit. Traditions de Tsazega et Hazzega. Annales et documents (Upsal, 1914), p. A VIII et seq.; cf. p. A IX, annot. 2. — (1) In provincia Sire. A. D'ABBADIE, Géodésie d'Éthiopie (Paris, 1873), p. 354. — (2) Cf. infra, num. 7, 14 et Vita Iohannis, § 3. — (3) Hic videtur esse 𐩀𐩪𐩠𐩪 'Elata quem memorant Strabo alique (Strabonis geographia, l. XVI, 4, 8, ed. Car. MÜLLER, Parisiis, 1877, p. 656, cum annotatis, p. 769); latinis Aliaeu. PLINIUS, Naturalis historia, l. VI, 29, 173, ed. C. MAYHOFF (Lipsiae, 1906), p. 502. Cf. R. BASSET, Histoire de la conquête de l'Abyssinie, t. II, in Publications de l'École des Lettres d'Alger (1887), p. 451, annot.; et praesertim Id., Les inscriptions de l'île de Dahlak, in Journal Asiatique, ser. 9, t. I (1893), p. 77-111. — (4) Brevem summam regularum a Philippo conditarum, quam nimio utique verbo coenobii Bizan typicon dices, complectitur Vitae Philippi paragraphus mense iacatit legenda. CONTI ROSSINI, t. c., p. 94-98. — (5) Qui regnum capessivit anno 1382 et ab eo se anno 1411 abdicavit. Cf. A. VON GUTSCHMID, apud W. WRIGHT, Catalogue of the Ethiopic Manuscripts in the British Museum (London, 1877), p. VI; cf. R. BASSET, Études sur l'histoire d'Éthiopie, in Journal Asiatique, ser. 7, t. XVIII (1881), pp. 95, 132-33; ubi tamen numeros annorum, e Iacobi Bruce historia desumptos, ad chronotaxim Alfredi von*

Gutschmid corrigendos esse perspicue ostendit vir doctissimus Basilii БОЛОТОВ, Замѣтки къ краткой Эіопіекой Хроникѣ, in Византійской Временикѣ, t. XVII (1911), p. 248-49. Vide etiam BASSET, Hist. de la conquête de l'Abyssinie, t. c., p. 309, annot. — (6) Bartholomaeus, huius nominis secundus, sedisse videtur regnantibus regibus Davide I (1383-1411) et Isaac (1419-1429). Cf. I. GUIDI, Le liste dei metropolitani d'Abissinia, in Bessarione, t. IV (1899), p. 8, annot. 5; et infra num. 14, p. 253, annot. 3. — (7) In lacu modico, qui pariter dicitur Ḥaiḡ, in Angst provincia, ad orientem oppidi Magdala. Exstat ibi celebre monasterium S. Stephano dicatum. Illuc relegari solebant viri ecclesiastici, qui in aliquo crimine convicti erant. Ipse Bartholomaeus metropolita in Ḥaiḡ insulam a rege Zarea Iacob amandatus fuit. Cf. BASSET, Hist. de la conquête de l'Abyssinie, pp. 281, annot. 2; 326, annot. 2. — (8) Aethiopice: 'aqā-bz sār'at, 𐩀𐩪𐩠𐩪 : 𐩀𐩪𐩠𐩪 : « custos horarum », vel 'aqābē esāt, 𐩀𐩪𐩠𐩪 : 𐩀𐩪𐩠𐩪 : « custos ignis ». Hoc nomen ex illo homophonia quadam ortum videtur. Sine causa Renatus Basset, auctoritate fretus Augusti Dillmann, Ludolfum et Gullielmum Bruce reprehendit quasi duo munera permiscuissent (Hist. de la conquête de l'Abyssinie, p. 438, annot. 3). His enim consentiunt Petrus Paez (Historia Ethiopiae, l. I, c. 14; BECCARI, op. c., t. II, p. 52-53) Emmanuel de Almeida (Historia Ethiopiae, l. V, c. 6; BECCARI, ibid., t. VII, p. 35) alique, qui aulam Aethiopicam diuturna experientia noverant et in ipso veluti theatro has personas fabulam agentes coram viderunt. — (9) Vid. BASSET, Hist. de la conquête de l'Abyssinie, p. 126, annot. 1.

pristinæ

A pristinae sedis memoriam Achseam appellavit. Filium habuit nomine Gabra Crestos, sive Christodulum: ex quo huiusque uxore Chryse — id enim sonat nomen Acrosia **አክሮስያ** (1) — nati sunt liberi, quorum postremus, ut videtur (§§ 2, 4), fuit Iohannes noster. Huic primum in baptismo nomen datum est **ዘርአ : ሃይማኖት**: Zar'a Hājmanot, hoc est Semen Fidei (2). Nondum e pueris excesserat cum Philippum per Bur provinciam iter facientem casu obviam habuit in solitudine **ቀጋቋላ**. Quelquāla (3): cuius benedictione monitisque dignatus iamtum ad vilam monasticam aspirare coepit. Patre vita juncto, matrem vehementi obsecratione permovit ut solitariae vitae capessendae copiam sibi faceret. Primum, ut videtur, in vasta regione quadam, cui nomen **አንጌልያ**: Angēbenāj, aliquamdiu commoratus est. Deinde, cum Philippum ad monasterium suum reducere esse cognovisset, monachum quendam nomine Ionam rogavit ut se ad illum perduceret. Hoc igitur comite ad montem Bizan pervenit et Philippo abbati oblatum est die 12 mensis Iachsas, cum aetatis annum decimum quintum ageret. Philippus sancti Spiritus admonitu intellexit illum puerum esse, quem olim in Quelquāla vastitate obviam habuerat. Eum peramanter excepit commisitque discipulo ac sodali suo nomine Isaac, a quo in litteris sacris omnibusque monasticis disciplinis educatus est (§ 5-6). Quas cum intra brevissimum tempus perdidicisset, Philippus eum religiosa veste induit novoque nomine Iohannem appellavit (§ 7).

A Philippo educatus,

in eius locum successit.

Summa rerum ab eo gestarum,

C

Jama, miracula,

5. Non ita multo post — etsi certum temporis intervallum e fluxa languidaque narratione definiri non potest — Philippus caelesti admonitu prope exactam sibi aetatem esse cognovit. Itaque non sine fratrum murmuratione quadam Iohannem sibi successorem designavit, eumque per annum in hoc officio instituit (§ 9). Deinde mortuus est (§ 10). Iohannes, suscepta coenobii administratione, factiosorum aliquot monachorum invidia non leviter primum exogitatus est (§ 11), donec ipse Deus ostento mirabili animus eius erexit (§ 12). Ullione caelesti pestis in seditiosos erupit (§ 13). Superstites propemodum extinxit James diuturna (§ 14), a qua tandem Iohannis precibus liberati sunt (§ 15). Exinde florere coepit monasterium rerum omnium abundantia et praesertim religiose observantiae decore (§ 16). Ipsius Iohannis nomen per universam Aethiopiam mox inclaruit (§ 17). Ingenitae eius maiestati et sapientiae accessit vis prodigiorum quae per eum Deus operabatur. Christodulum monachum e praecepto monte devolutum incolumem mirabili praesentia servavit (§ 18). Alium, nomine Iacobum, e torrente flumine, mirabiliter eripuit (§ 19). Monachi sex,

quos ad coenobii negotia curanda miserat, in itinere a mohammadanis occiduntur (§ 20). Quorum caedes ne impunita esse sineretur, Iohannes Deum vindicem appellat (§ 21). Optio caelitus ei datur latrones qua velle calamitate plectendi. Itaque, ad exemplum Eliae prophetae (4), siccitatem in eorum agros indicit (§ 22), et nequiquam indignante angelo nubium, cum Dei numine pervincit ut per tres continuos annos mensesque septem in Agarenorum terras ne plueret (§ 23-24). Qui fame et pestilentia paene ad interiectionem consumpti, ad Iohannis misericordiam confugere decernunt; sed novo prodigio in itinere oculis capiuntur, nec nisi post longos errores ad montem Bizan perveniunt (§ 25), ubi a Iohanne primum gravi obiurgatione corripuntur: dein, pace cum eo sancita in perpetuum, discedunt et, dum redeunt, largo imbre perfunduntur (§ 26). Alii monachi iter facientes, cum in loco latronibus infesto pernoctarent incauti, a sancto procul agente de periculo mirabiliter admonentur. Ne fariorum autem hominum tela retro volantia eos ipsos confodiunt (§ 27). Elias monachus a gravi capitis morbo repente sanatur (§ 28). Mohammanus iterum princeps, qui libidinis suae oblectamento Iohannis discipulos servare voluerat, cum per nuntium sanctus eum corripisset, ilico insania jurere coepit et paulo post misere interiit (§ 29). Draconem immanem, qui in eius cellam irrepserat, uno tactu occidit (§ 30). Gabra Amlac (sive Cyriodulo) discipulo de eius monitis dubitanti tacitam cogitationem exprobrat testaturque sibi omnium hominum intima pectora perspecta esse (§ 31). Fugitivus monachus qui eum sacrilegii apud Isaac regem insimulaverat, sycophantiae arguitur et mendacium suum confessus ilico animam eiecit (§ 32). Iohannes ecclesias tres aedificavit quarum unam nomini sancti Behnam martyris, alteram Gabrielis, tertiam Michaelis archangeli dedicavit (§ 33). Tandem cum annos quadraginta quinque coenobio praefuisset, ab eodem Michaelae, qui angelus ei tutelaris erat, ad Dominum evocatus, discipulis suis novissima verba edixit (§ 34), iisque in suum locum praefecit Saraqa Berhān (§ 35). Ad aeternam felicitatem transit die decimo tertio mensis chedar, crastino die festi S. Michaelis, aetatis suae anno septuagesimo nono; et dum ab universa regia caelorum ovans excipitur, ingenti suorum luctu et maerore sepultus fuit (§ 36).

AUCTORE P. P.

E

aedificia

obitus.

Vita caute conferenda

6. His fere comprehendi potest summa rerum, quas Vitae scriptor jussu calamo amplificavit; nisi quod amputata huius facundia, ipsam narrationem minus absurdam fecimus. Quantam haec habeat fidem, nemo prudens iudicabit antequam ineptias quibus referta est, integre perlegerit; neque opinor locos qui ab editore omissi sunt his

(1) Ductum nomen videtur a pia matrona, uxore Fausti, quae Petrum apostolum Romae fertur excepisse, in Actis Petri cum Simone, LIPSII-BONNET, *Acta Apostolorum apocrypha*, t. I, p. 78 et seq.; cf. E. A. WALLIS BUDGE, *Gadla Hawārjāl. The Contendings of the Apostles*, t. I (London, 1899), p. 8 et seq.; *Synaxarium aethiopicum* ad d. 5 hamlē, in *Patrologia Orientalis*, t. VII, p. 234. — (2) Textus aethiopicus hoc loco intercisus est. Ex epitome italiana quam praemisit editor, intellegitur Iohannes puer a parentibus suis gregibus pascendis addictus fuisse. CONTI *Novembris Tomus IV.*

ROSSINI, t. c., p. 66. — (3) Locus nobis ignoratus; in Vita S. Abia Egzie (in codice Musei Britannici Orient. 695) memoratur tractus Qualaquēla, « in ditione patris nostri Nazraui, » quem incolabant latrones efferati, carnes murium et elephantorum depascere soliti. Cf. V. TURAJEV, *Изгваданія въ области агиологическихъ источниковъ исторіи Египта*, pp. 108, 115. — (4) Inde cognomina Thesbitae et Thesbiae, quibus sanctum eiusque coenobium nonnumquam appellari iam notavit Ludolfus. Vide supra, num. 1, p. 247.

- AUCTORE P. P. *multo peiores esse potuisse quos prelo dignos iudicavit. Sed concinnam sobrietatem quis requirens aethiopicos hagiographos legerit? Cernamus igitur in tam insulsa Jarragine quid satis probabiliter traditum videatur. Huic autem disquisitioni peropportunum subsidium attulit Iohannes Kolmodin, Suecus, qui praeter alia documenta quae ex Aethiopia asportavit, breves annales nuper edidit, duobus exemplis a se repertos in Addi-Neammin et Tsazzege pagis provinciae Hamasen (1). Longum est singillatim expendere quae vir doctus de istius opusculi origine, scriptore, codicibus persecutus est (2). Constat hos annales saeculo XVII compositos esse a presbytero Maḥṣanta Marjam (Mariae Pupillo); neque improbabile est codicem ecclesiae Addi-Neammin ipsius scriptoris chirographum esse (3). Fueritne hinc Maḥṣanta Marjam monachus Montis Bizan, non liquet. At de coenobii rebus et memorialis se non mediocriter sollicitum ostendit; cuius certe bibliothecam avidit et domesticas historias prae manibus habuit. Quas utinam homo parum litteratus paulo diligentius legisset et stilo minus claudicante excerptisset! Ad Iohannis Vitam quoquo modo pertinent mentions quae porro sequuntur.*
- qui eiusdem historiae
- B
- vestigia quaedam servarunt.
7. Anno gratiae XXIV, direpta fuit Ḥasā Zagā; tunc natus est pater noster Iohannes e Dabra Bizan. Anno gratiae XXV, mortuus est aqāsan, **ዓቃን** (4). Tacalē; deinde convaluit (5) coetus Bizan. Anno gratiae XXX, pater noster Philippus iussit describi legem Moysis... Anno gratiae XXXIV, pater noster Philippus ad Baracā profectus est... Anno gratiae XXXVI, revertit pater noster Philippus a Baracā, Anno gratiae XLI condita est ecclesia Montis Bizan... Anno gratiae L, prodiit papa Bartholomaeus. Anno gratiae LII, profecti sunt (6) pater noster Philippus et discipuli patris nostri Ma'qaba Egzie (*Dei custodis*) in terram Amḥarā; erant autem duodecim (7) numero: pater Tavalda Madchen (8) e Dabra Marjām (9), pater Moyses e Dabra Salām (10), pater Matthaëus e Maia Saglā, pater Daniel Zagadamāi (11), pater Paulus ex Agued, pater Marcus ex Adiābo, pater Matthaëus e Maia A'raḥ, pater Timotheus ex Alga Bārjā, pater Archelides e Maia Daguā'le (12), pater Matthaëus ex 'Adi (13) Qau'o, pater Timotheus ex 'Adi Gabā. Anno gratiae LVI, ad sedes suas reverterunt. Anno gratiae LVIII, requievit (14) pater noster Philippus... Anno gratiae LXXXIII, mulos (coenobii) Bizan abstulit Ta'auqē (15)... Anno gratiae CII, requievit pater noster Iohannes... Anno gratiae CVII, profectus est (16) pater noster Saraqa Berhān ad terram Amḥarā. Anno gratiae CIX, ecclesiam condidit in Magargero. Anno gratiae CX, requievit pater noster Saraqa Berhān; eodem anno constitutus fuit pater noster Petrus... Anno gratiae CXIX, profectus est (17) pater noster Petrus ad terram Amḥarā, et post tres annos reverterunt ad terras suas (18). Haec quo pacto cum Vita Philippi et Vita Iohannis componenda sint, clarius apparebit cum perspexerimus quomodo et quatenus istae duae inter se conveniant.
8. Iohannes noster in historiam magistri sui duobus tantum locis inducitur, neque multo ante extremam narrationem. Primum ubi refertur quomodo Philippus ab exilio redire tandem permissus sit. Quod postquam multis, ut solet, verbis exposuit hagiographus, porro pergit in hunc modum: Deinde cum e mari egredere, exceperunt eum discipuli eius pater Iohannes et pater Saraqa Berhān, qui mare conscendebant. Et eum amplexi sunt. Qui dixit illis haud inscius: « Quinam ii fuerunt, qui patrem Macarium exceperunt ex insula egredientem, in qua relegatus manserat? » Dixerunt illi: « Pater Iohannes Pusillus et pater Bisoës. » Dixit illis: « Horum similes et vos facti estis. » Deinde arrectas manus imposuit in caput patris Iohannis, et dixit: « Benedictio Patris et Filii et Spiritus Sancti atque benedictio mea super te requiescat prae fratribus tuis, audiatque nomen tuum in terra Azeb (19). » Deinde sublati itidem manibus benedixit patrem Saraqa Berhān, cui dixit: « Benedictio mea et benedictio Iohannis super te requiescat, quia officiosissimus mihi fuit meque aluit labor tuus. » Deinde occurrerunt etiam illi omnes eius discipuli patris sui aspectu laetantes (20).
9. Nostrum hic Iohannem designari et cum eo tertium montis Bizan coenobiarcham, nomine Saraqa Berhān, cui moriens monasterii administrationem commissurus erat, tam evidens est ut probatione non egeat (21). Attamen in Vita Io-
- Cum Vita Philippi
- E
- in narri-
tiuncula
de Iohanne
- F
- non
congruit.

(1) *Traditions de Tsazzege*, p. A 23-A 27. — (2) *Ibid.*, p. A 9-A 15. — (3) KOLMODIN, t. c., p. A 11. — (4) Alias **ዓቃን** 'aqānsen, vel **ዓቃን** 'aqānsan. Is erat proprius titulus praefecti, qui legato regis subditus in Aethiopia boreali, sive « *Domino maris* », provinciam Sarāwe administrabat. K. CONTI ROSSINI, *Historia regis Sarsa Dengel (Malak Sagad)*, in *Corpus Script. christ. Orient.*, versio, ser. 2, t. III (1907), p. 185. — (5) **ሐደወ**. Parum accurate KOLMODIN: « alors fut établie la communauté de Bizan ». T. c., p. A 29-30. — (6) **ደቡ**; quod verbum in lexicis frustra requiras. Aliquotenus consonat arabicum **ذميرا**, abierunt. KOLMODIN: ascenderunt. Cf. infra, annot. 16, 17. — (7) Lege: undecim, nisi in textu intercidit duodecimum nomen. Hi sunt undecim magistri Aethiopiae, qui ad sabbati observantiam Philippi hortatu conversos fuisse narrantur in huius Vita, CONTI ROSSINI, p. 107, ubi, eodem errore, pro undecim legitur duodecim. Itaque ex Annalibus nostris videntur undecim illi magistri Aethiopiae ad tri-

bunal regis arcessiti fuisse cum Philippo cuius doctrinam amplexati fuerant. Vide tamen infra, num. 14, p. 253, annot. 1. — (8) I. e. *Natus est Servator*. — (9) I. e. *Monte Mariae*. — (10) I. e. *Monte Pacis*. — (11) I. e. *anachoreta*. — (12) In *Vita Philippi: e Daguā'le*. — (13) In *Vita Philippi: 'Adi*. — (14) In utroque codice: *requieverunt*. — (15) Cf. *Vita Iohannis*, § 20. Sed numquid in illa narratione annalium scriptorem minus movissent muli adempti quam monachi occisi? — (16) **ደቡ**, in plurali, ut supra. — (17) **ደቡ** iterum. Cf. annot. insequentem. — (18) Sic, numero plurali, in utroque codice. — (19) I. e. Aethiopia. — (20) *Vita Philippi*, ed. CONTI ROSSINI, t. c., p. 119. — (21) Quo consilio Iohannes moriens sui muneris heredem constituerit senem, cum quo ante annos circiter quinquaginta Philippum ab exilio liberatum salutaverat, alius est quaestio. At certe hunc hagiographus designare voluit. Ceterum Saraqa Berhān ille qui montis Bizan post Iohannem paucis annis (cf. num. 17, infra, p. 254) coenobiarcha fuit, Philippi discipulus fuerat (*Vita Iohannis*, § 35), quod narratiunculae fidem aliquantulum addit. Neque obstat locus

A hannis, quatenus nobis perspecta est, non legimus eum magistro suo in litore lacus Hāiq obviā fuisse. Quin immo de Philippi exilio et captivitate diuturna ne verbum quidem attingitur. Nisi ergo loci ambo narrationis, ubi haec referebantur, a librariis intercesi sunt aut ab editore neglecti, quod longius etiam abest a similitudine veri, dicendum est rerum illarum memoriam in Vita Iohannis sive casu sive consilio fuisse obscuratam. Ultra causa probabilior sit postea displicere conabimur. Interim advertite Iohannem nostrum in Vitam Philippi satis improvisum irrumperere cum antea nusquam in ipsa narratione nominatus fuerit.

Quomodo Iohannes 10. Non multo aptius cum Vita Iohannis concordat locus alter Vitae Philippi, ubi senex morti iam proximus discipulos suos admonuisse refertur ut alium coenobiarum sibi providerent. Eloquentur ipse hagiographus: Quae cum audissent eius asseclae, illacrimati sunt dicentes: «Pater, pater, quo loco nos deseris? Et ubinam patrem reperiemus tibi similem, qui nos doceat, qui nos adhortetur, qui potum vitae nobis praebet et fonte sanctarum scripturarum?» Dixit illis Philippus martyr: «Nequaquam id esse potest. Eligite qui vobis pater futurus sit.» Tunc ei dixerunt eius discipuli: «Equid nobis tu dixisti? Fac quod tibi praecipit Deus.» Quondam nempe, dum superstes est, discipuli eius eum interrogaverant his verbis: «Pater, quis post te futurus est pastor noster?» Dixit illis Philippus martyr: «Nondum iste advenit.» Cum autem ille advenisset, dixerunt ei discipuli eius: «Advenit puer aliquis, decorus aspectu.» Philippus antequam perspexit huius vultum, dixit illis: «Iste ipse est qui post me pater vester erit.» Et cum ei manum imposuisset, vidit oculis suis circumfusam ei pompam angelorum, qui alis suis eum obumbrabant: ex quibus aliqui flabellis lucidis auram illi afflabant; ante eum incedebant seraphim atque cherubim; ad dexteram et ad sinistram eum circumdabant exercitus Dei; et undique circum stipabat eum pompa sanctorum et martyrum.

B
C
11. Deinde arrectis oculis in caelum, Deum conspexit sedentem in solio sancto et excelso. Ad quem cum accessisset, cui sit laus, (is) dixit ei: «Ave, Philippe martyr. Advenit tibi tempus, quo ex hoc mundo migraturus es, ut transeas ad vitam sempiternam.» Dixit autem Philippus Domino suo: «Domine, utinam mihi parvulam moram adicias, ut disponam domum meam, et discipulis meis coenobioque meo novissima praecipiam.» Dixit ei Dominus eius: «Satis est tibi quod iam emensus es aetatis, nam assiduitate laboris ac certaminis omnes iustos superasti qui ante te fuerunt. Quod autem attinet ad regulam discipulorum tuorum¹, noli sollicitus esse, quia magni, et illustres sunt, et excelsi gradus (dignitatis) eorum; iis delectatur Pater meus qui in caelis est; et Spiritus sanctus protegit certamen eorum. Tu

in Vita Iohannis (§ 29) ubi Saraqa Berhān, idem profecto de quo nunc agimus, appellatur «puer» **ⲓⲁⲣⲁ**: Iohannis. Puer enim, i. e. discipulus, coenobiarum, stilo monastico, vir matura iam

vero, Philippe, famule mi, veni ex infirmitate ad prosperam valetudinem, e labore ad quietem, e luctu ad gaudium, e morte ad vitam. Quos enim elegerit Pater meus qui in caelis est, hos non decet mors in terra, sed contra habitatio in caelis.» Dixit Philippus martyr Domino suo: «Concede mihi privilegium (1), sicut olim mihi concessisti.» Dixit ei Dominus eius: «Quid est quod tibi non donaverim; nam multa tibi privilegia concessi.» Significavit Philippus martyr Domino suo nonnulla tamen desiderari. Dixit ei Dominus eius: «Roga me quod optas, et dabo tibi.» Tunc dixit ei Philippus: «Exaudi me, Domine; neque solvatur regula coenobii mei usque ad alterum tuum adventum.» Dixit ei Dominus eius: «Fiat sicut dixisti.» Iterum dixit Philippus Domino suo: «Praeterea, coenobium meum incendio non comburetur.» Dixit ei Dominus eius: «Fiat sicut dixisti.» Iterum dixit ei Philippus: «Rogaverim equidem ut morbus pestilens ne grassetur per coenobia mea.» Et dixit illi Dominus eius: «Hoc etiam erit, sicut dixisti.» Deinde dixit Philippus Domino suo: «Et illis omnibus, qui doctrinis meis crediderunt, equid daturus es?» Dixit illi Dominus eius: «Misericordia Patris mei illis continget.» Respondit Philippus Domino suo eique dixit: «Iis vero qui meo schemate induti fuerint, qui sepulcrum meum custodierint, equid illis daturus es?» Dixit ei Dominus eius: «Ignis vorax non obtinget illis habitandus propter opera eorum.» Rursus illi dixit: «Et qui commemorationem meam egerit cum laetitia, esurientes saturando, nudosque operiendo, quid (de illo) dices?» Ille autem <respondit²>: «Hereditatis tuae particeps erit, in terra tua.» Haec et similia privilegia postquam ei dedit, dixit ei Servator, oraculo suo: «Hoc ipso die, coetur coetus primogenitorum, qui te advenientem praestolabuntur. Cito dispone domum tuam, manus tuas impone in caput Iohannis filii tui; benedic ei sicut Moyses Iosue benedixit; dona ei duplum spiritum sicut duplum dedit Elias Elisaeo.» Ad haec Philippus martyr gaudio percitus dixit discipulis suis: «Hoc ipso die coetus primogenitorum animam patris vestri praestolatur, ut a vobis eam educat. Iam pridem vobis dixi, et nunc adeo vobis aio, sicut Dominus meus: oboedite Iohanni patri vestro. Quicumque Iohanni oboedierit, Spiritui sancto oboedit; qui autem Iohanni restiterit, resistit Spiritui sancto.» Quae cum diceret, oculos in caelum arrexit; et egressa est anima eius clarissima. Et accepit eum Servator in manus suas... (2)

¹ Textus: **ⲉⲓⲛⲉⲛⲉ**: legendum: **ⲉⲓⲛⲉⲛⲉ**:

² Supplev. e contextu.

12. Hunc locum, ut longiusculum, integrum descripsimus quo pateret evidentius cum Vita Iohannis eum non amice componi. Utrobique sane Iohannem Philippus sibi successorem designat, sed aliter in uno aliter in altero documento.

aetatis vocari potuit. Vide infra, num. 16, 17, p. 254. — (1) Proprie: foedus sive testamentum. — (2) CONTI ROSSINI, l. c., p. 122-24.

AUCTORE
P. P.

E

Hebr. 12,
23.

Is. 38, 1.

4 Reg. 2, 9.

F

aliter in
alterius
Vita
refertur.

In

AUGTORE In isto quidem Philippus ultimo aetatis die et
P. P. prope hora suprema discipulis suis praecipit
 ut abbatem sibi eligant. Qui respondent huic muneri
 ab ipso sancto cum numine Dei iam pridem esse
 provisum. Ipse autem hagiographus, quasi prae-
 postera recordatione admonitus, subdit Philippo
 quondam, eo die quo Iohannes ad montem Bizan
 advenit, divinitus patefactum fuisse, hunc pueru-
 lum quem nondam viderat, suum successorem
 futurum. Contra in Vita Iohannis, iste iam Phi-
 lippo notus erat quando primum in coenobium
 ingressus est. Philippus tamen de futura adulescen-
 tuli dignitate nihil aperit, ita ut murmuratio
 inter fratres erumpat, cum Iohannem ab ipso Deo
 iam electum pronuntiat. Neque supremo vitae
 die, sed anno ante mortem domus suae gubernationi
 prospicit. Haec sane cum Vita Philippi prae-
 fraete pugnantia non sunt. Attamen alia non pau-
 ca gravius inter se confligunt, quae articulatim
 in utroque documento notare supervacaneum est.
 Sic in narratiuncula ipsa quae modo recitata est,
 morienti Philippo Deus promittit luem morti-
 feram in eius coenobium numquam erupturam
 esse, dum in Vita Iohannis (§ 5) legitur brevi
 post obitum Philippi montem Bizan peste et
 fame prope ad interuersionem vastatum fuisse.
 Istaec atque discrepantiae manifesto compro-
 bant neutrum scriptorem curavisse ut narratio-
 nem suam cum altera componeret.

**Chrono-
 taxis Vitae
 Philippi**

13. Eodem revolvimur si subduclis calculis in-
 quiramus in quotum quodque annum incidant
 quae de Philippo pariter et Iohanne referuntur.
 Sed ante omnia cardo reperiendus est in quo haec
 chronotaxis universa nitatur. In Vita Iohannis,
 ubi tamen temporum ordo satis accurate notatus
 est, nullus omnino legitur annorum numerus (1);
 in Vita autem Philippi unus tantum isque certo
 falsus aut a librario vitatus. Nempe dicitur
 Philippus natus esse anno a creato mundo 6591,
 a nativitate Christi 1099: credat qui nesciat re-
 gem 'Amda Syon (Columna Sion), quo regnante
 ortus est Philippus, ab anno 1314 ad 1344 impe-
 ritasse (2), David autem regem a quo pulsus et
 restitutus fuit, solium conscendisse an. 1382 et
 a regno se abdicasse an. 1411. Huius aequalis fuit

Bartholomaeus metropolita qui Philippum nos-
 trum exagitavit (3). Cum his saltem temporum
 notis liquido congruunt indicia quae ex Vita Io-
 hannis colliguntur, sicut ilico videbimus. Inde
 igitur proficiscendum est. Iamvero, inter docu-
 menta quae dicuntur Axumitica, consignatum est
 diploma, quo rex David fundos aliquot Philippo
 Bizanio addixit anno a creatione mundi 7990,
 Christi 1490 (4). Iam tum igitur Philippus ad
 coenobium suum reverti permissus erat; nisi rex
 David beneficia sua contulisse putandus est in
 exsulem quem venia dignum non iudicaret. Vide-
 tur autem Philippus non diuturno tempore ante
 mortem domum rediisse (5). In hoc cum hagiographo
 consentiunt annales Addi-Neammin, qui eum redu-
 cem fuisse referunt anno « gratiae » LVI et ad
 Dominum migrasse anno LVIII (6). Atqui legi-
 mus in Vita Iohannis Philippum divinitus admo-
 nitum fuisse ut res suas componeret, proximo
 anno antequam obiit, in festo Iohannis Baptistae,
 annui circuli principio, qui dies erat domini-
 cus (7). Iamvero post annum 1400, dies 2 septem-
 bris, qui hic certo designatur, in dominicam pri-
 mum incidit an. 1403, deinde iterum an. 1408.
 Itaque mortuus est Philippus an. 1404 (8), die
 5 mensis nahase, iulii 29 (9), ad quem etiam diem
 in aethiopico synaxario commemoratur (10). Reli-
 qua aetatis eius spatia sic fere determinari pos-
 sunt. Natus est anno 1320, vel 1321 (11), si 84
 anni eius aetatis eadem ratione computati sunt
 atque anni Iohannis, ut modo videbimus. Ali-
 quanto post annum 1350, in monte Bizan coe-
 nobium condidit, ubi florenti aetate et fortuna
 vixit usque ad tempora Davidis regis, a quo in
 exsilium pulsus est, incerto quidem tempore, non
 tamen ante annum 1387.

14. Hactenus Vita Philippi. Incautus sit qui
 non adhibito delecto et discrimine, hanc ex anna-
 libus illis Addi-Neammin complere aut corrigere
 velit. Nam praeterquam quod incertum est a quo
 termino numerati sint horum « anni gratiae » (12),
 ipsi numeri, quomocumque computantur, non
 quadrant in temporum intervalla quae aliunde certa
 sunt (13). Nihil igitur perspicui docemur cum legi-
 mus Philippum obiisse anno gratiae LVIII. Prae-

(1) Videtur tamen annus natalis Iohannis fuisse
 indicatus, sed incuria librorum excidisse. Vita
 § 2; cf. infra. — (2) GUTSCHMID, loc. c., p. VI-VII.
 — (3) Vide supra, num. 3, p. 248. — (4) K. CON-
 TI ROSSINI, Documenta ad illustrandam histo-
 riam. I. Liber Axumae, num. 11; in Corpus
 scriptorum christianorum orientalem. Ser.
 Aethiopicum, textus, ser. altera, t. VIII (1909),
 p. 23; versio, p. 26. — (5) Id e narratione Vitae
 perspicue colligitur, ut recte notavit CONTI
 ROSSINI, Il Gadla Filpos, t. c., p. 66. — (6) Vide
 supra, num. 7, p. 250. — (7) Vita Iohannis,
 § 8. — (8) V. d. CONTI ROSSINI Philippum existi-
 mat obiisse an. 1403 (Atti della Accad. dei
 Lincei, t. c., p. 154); KOLMODIN autem, ex An-
 nalibus Addi-Neammin, an. 1406 (t. c., p. A 31,
 annot. 2). Utriusque sive calculo sive coniecturae
 obstat ratio quam modo exposuimus et quae
 chronotaxi Vitae Iohannis luculenter confirma-
 bitur. — (9) Vita Philippi, CONTI ROSSINI, t. c.,
 p. 126. — (10) Ed. I. GUIDI, Patrologia orientalis,
 t. IX, p. 274; ubi nota dies mensium Gregoriano
 stilo numeratos esse; itaque pro die 11 augusti
 legendum iulii 29. — (11) In Vita Philippi, dies
 eius natalis more Syrorum et Arabum notatus
 est: die nono mensis tesrin prioris (octobris 9).
 Hora item nocturna et diurna, putida cum accu-

ratione consignata est (ed. CONTI ROSSINI, t. c.,
 p. 74). Sed nihil inde ad praesentem quaestio-
 nem colligi potest. — (12) Hoc nomine Aethiopes
 promiscue appellant annorum series alias ab
 alio termino computatas. Vide DILLMANN, in
 lexico ad nomen ምስረት. De chronotaxi
 aethiopica saeculis praesertim XIV et XV lectu
 dignissima sunt quae breviter attigit Basilius
 BOLOTOV, in postuma commentatione Заѣтки
 къ краткой Эѳіопской Хроникѣ, in Vizantijskij
 Vremennik, t. XVII (1911), p. 248-49. —
 (13) Conferantur, exempli gratia, inter se et
 cum historiis mentiones istae: Anno gratiae 23
 mortuus est rex Saifa Ar'ad... Anno gratiae 89,
 rex Zarea Iacob (ad urbem Axum descendit...
 Anno gratiae 162 rex Lebna Dengel regnare coe-
 pit. Iamvero Saifa Ar'ad obiit anno 1372 (GUT-
 SCHMID apud WRIGHT, Ethiope Manuscripts in
 the British Museum, p. VII). Zarea Iacob, in urbe
 Axum coronatus fuit anno 1434 (GUTSCHMID,
 ibid.; cf. J. PERRUCHON, Les chroniques de
 Zar'a Yâ'eqôb et de Ba'eda Mâryâm, in Biblio-
 thèque de l'École pratique des Hautes Études,
 fasc. 93, 1893, p. xx). Tandem Lebna Dengel
 regnum capessivit an. 1508.

A *terea* si eius iter ad provinciam Amharā, quod memoratur ad annum LII, et a quo rediisse fertur anno LVI, reapse illius relegatio fuit in Haiq̄ insulam, ut satis veri simile est (1), ergo exsulavit Philippus ab anno 1396 ad annum 1402, et domo extorris erat cum rex David ei fundos addidit, illo diplomate quod in Axumi libro consignatum fuit (2). Quis non maluerit in annalibus errorem aliquem hoc loco suspicari? Probatus etiam testimonium exspeclandum erit antequam indubitanter asseveretur Bartholomaeus metropolita creatus esse anno 1394, decem annis ante Philippi mortem (3).

In Vita Iohannis, 15. Ad Iohannem vero quod attinet, annus eius natalis a Vitae scriptore certe notatus fuit, sed incuria librarium intercidit. Eius tamen aetatis tempora praecipua prope certis terminis definiiri possunt. Coenobio praefuit per annos 45. Obiit igitur anno 1449 (4), in quo dies 13 mensis chedar (9 novembris), postridie festum S. Michaelis, reapse in dominicam incidit sicut in Vita refertur (§ 36). Quod si annos vixit 79, nostra computandi ratione, anno 1370 natus esse densus est. Sed conceptis verbis refert hagiographus diem eius natalem fuisse 12 mensis chedar, in festo S. Michaelis, quae dies erat dominica (§ 2). Haec autem temporis nota articulata expressa firmiter in se ipsa consistit quam numerus annorum sancti; siquidem hic numerus, etiamsi nihil mali passus sit a librariis, ex anno natali Iohannis computari debuit, non autem ex aetate eius summa annus diesque natalis reperti fuerunt. Iamvero dies 13 mensis chedar cum dominica concurrere non potuit ante annum 1372 (5); nisi longius etiam ab anno 1370 recedere volumus. Aut igitur numeri in codicibus corrupti sunt aut ipse scriptor propria quadam ratione usus est in computanda sancti aetate: scilicet annum ascripsit quem Iohannes inceperat ipso die quo mortuus est; et insuper annum eius natalem annumeravit, quasi iam sancto exactus esset: quae ratio Aethiopicis, ut etiam Persis, non videtur inusitata fuisse (6). Cum hac chronotaxi satis apte congruunt temporis intervalla quae ex annalibus Addi-Neammin colliguntur, ubi legitur Iohannem anno « gratiae » 24 natum esse et anno 102 obiisse, annis 44 post Philippum, siquidem iste anno 58 mortuus est (7). Reliqua non multo difficiliore negotio expediuntur. Secessionem Philippi in solitudinem Baracā referunt annales ad annum « gratiae » 34, quando Iohannes erat circiter decennis, eius autem reditum ad annum 36 (8). Nota-

certius notata sunt.

tu dignum est annales hoc etiam loco propius abesse a Vita Iohannis quam a Vita Philippi, in qua Philippus narratur in solitudinem Baracā recessisse antequam coenobium Bizan condiderit. Noster autem Iohannes ad montem Bizan advenit uno mense postquam aetatis annum decimum quintum attigerat (9), id est die 8 decembris anni 1387, vel 1386, si non nostris sed hagiographi calculis utamur. Cum autem ab ipso Philippo exceptus sit et paulo post inter monachos admissus, illum projecto Davidis regis indignatio nondum perculerat. Eo tamen magistro perit non usus est Iohannes, nam Philippus qui anno 1400 iam postliminio redierat, quattuor saltem annos in exsilio traduxit (10). Eius oculos in se primum convertere potuit, postquam senex aerumnis iam et aetate confectus ad suos tandem se recepit. Ex utraque Vita, Philippi et Iohannis, constat mirificam aliquam historiunculam excogitandam fuisse ut explicaretur quomodo iunior monachus triginta circiter annorum a coenobii conditore sibi successus fuisset, superstiti, ut videtur, illo Iebārcana Crestos, qui exsulantis Philippi vices gesserat.

16. Hinc suboritur quaestio: utri documento ex ambobus potior habenda sit fides et quanta? Neutrum altero perspicue dici potest antequam. Prima fronte antiquitatis praerogativam habet Vita Philippi. Quin immo in ipso coenobio montis Bizan, anno 1891, Leonillo Bettini exhibitus fuit codex in quo haec scripta refertur ab Isaac sancti discipulo (11): quod praecudicata sententia falsum dici non potest. Sed projecto longaevis iste Isaac fuerit necesse est, nam vivente Iohanne non scripsit. In genealogia illa qua Philippi prosapia spiritalis ad Antonium magnum perducitur, ipse Philippus dicitur Iohannem genuisse, Iohannes autem Iebārcana Crestos (12). Hoc autem nomen tam aperte falsum est (13), ut merito interrogari possit num hic locus a falsario quopiam interpolatus sit. Sed inde nihilo probabilius evadit Philippi Vitam qualis nunc legitur, superstiti Iohanne compositam fuisse. Id enim sine eius auctoritate et consilio factum non esset. Atqui nihil tale in Iohannis Vita memoratur. Utique accidere etiam potuit ut res minoris momenti hagiographum iugeret indiligentem praesertim et garrulum. Sed in ipsa Philippi historia Iohannes projecto non eas partes gerit quas habiturus erat, si haec scripta fuisset eo tempore cum coenobium ipse administraret. De reditu Philippi ad montem Bizan rebusque ab illo gestis extremo aetatis tem-

AUCTORE P. P.

Vita Philippi

non ante Iohannis mortem scripta fuit,

F

(1) Attamen praetermittendum non est Philippum, postquam e custodia emissus fuit, per annos quattuor in Amharā provincia doctrinam suam praedicasse (Vita, l. c., p. 120; cf. CONTI ROSSINI, *ibid.*, p. 66, et supra, num. 3, p. 248). Utrum vero annalium scriptor hoc iter cum Philippi relegatione confuderit, an, omisso illo, hanc solam rettulerit, an demum ipse hagiographus ultro excogitaverit Philippum, praeter annos in custodia exactos, toto quadriennio in Amharā peregrinatum esse, exquirere ad praesentem quaestionem non pertinet. Utique suspiciosum est exsulem, decrepitem praesertim et de suis sollicitum, recuperata libertate, domum non recta properasse. — (2) Vide supra, num. 13, p. 252. — (3) Cf. supra, num. 3, p. 248, annot. 6. Auctori suo nimium confidit KOLMODIN, *Traditions*

de Tsazzege, p. A 30, annot. 9. — (4) Eundem annum ex annalibus Addi-Neammin eruit KOLMODIN, t. c., p. A 32, annot. 4. CONTI ROSSINI annum statuit 1448, t. c., pp. 154, 170. — (5) In annalibus Addi-Neammin (cf. supra, num. 13), Iohannem natum legitur anno « gratiae » 24, qui fuit 1371/1372 si annus « gratiae » 102 incidit in annum 1449/1450. — (6) Hac nempe ratione, regi Salfa Ar'ad 28 anni regni computati fuerunt et 10 regi Vedem Asfarē. Cf. KOLMODIN, t. c., p. A 29, annot. 4. — (7) Supra, num. 13, p. 252. — (8) *Ibid.* — (9) Vita, § 6. — (10) Cf. annot. 1 et *Annales Addi-Neammin*, supra, num. 14. — (11) *Bullettino della Società Geografica Italiana*, t. c., p. 209. — (12) Vita Philippi, ed. CONTI ROSSINI, p. 79. — (13) Cf. supra, num. 5, 8, 12, pp. 249, 250, 252, et Vita Iohannis, § 35.

-pore,

AUCTORE P. P. *pore, vix aliquid attingitur, quae tamen vivide persecutus esset scriptor, qui grandaevum coenobii conditorem ad suos ab exilio diuturno reducem excepisset. Neque Iohannes modo sed eius quoque successor, Saraqa Berhān, in narrationem obiter et nullo apparatu inducitur, quasi breves annos suae gubernationis iam exegisset eiusque maiestas mortalium oculos non praestringeret (1).*

et posterioris aetatis

17. Insuper ad ipsius Philippi tempora artificiosa quadam anticipatione translati sunt eventus rerum non pauci, quarum illius aequales vel etiam suppires prima tantum initia viderunt. Matthiae Semagleno illi coenobiarchae qui eum apud patriarcham infensus accusaverat, praedicat Philippus discipulos suos, labentibus annis, in contentione cum illius discipulis superiores tandem evasuros futurumque tempus cum florente Monte Bizan Semaglenum monasterium adversa fortuna profligaretur (2). Clarius etiam et apertius est vaticinium (3) quo alicui ex assectis suis Nathanael nomine, in Darnobā, suae doctrinae victoriam praedixisse fertur, his adeo verbis utens :

B ሠላምዝንቲ፡ ንጉሥ፡ ደትወለድ፡ ንጉሥ፡ ራትዕ፡ ወደነግሥ፡ በጽድቅ፡ ወውክቲ፡ ያቀውግ፡ ሥርዐትዮ፡ ወያክብር፡ ደብርዮ፡ ሊድፋድ፡ ። Ex isto rege nascetur rex probus, qui cum iustitia regnabit : is legem meam sanciturus est, et coenobium meum valde amplificabit. Scilicet hagiographus haec tuto praesagii quae iam evenerant, quando rex Zarea Iacob (1434-1468) iudaizantibus causam tandem adiudicavit, universamque Aethiopicam eorum superstitionibus infecit (4) Quo anno hanc legem tulerit, non constat; attamen parum probabile est eum in primis annis sui regni, necdum adulta potestate, rem invidiae plenam aggressum esse, quae factionum odia tandiu concitaverat (5). Iohannes Eustathianam doctrinam in qua fuerat a Philippo educatus, triumphantem certe non vidit. Neque successor eius Saraqa Berhān, ullum videtur regiae benevolentiae signum accepisse. Contra, si annales Addi-Neammin fidem in hoc merentur, anno « gratiae » CVII itineri se commisit, quod exilio perquam simile est, et a quo non fertur rediisse. Quin immo quartus montis Bizan coenobiarcha Petrus, qui anno « gratiae » CX creatus est, anno CXIX similiter in Amharā provincia peregrinatus est, unde non rediit nisi anno CXXII, utique post mortem regis Zarea Iacob (6). Hoc igitur unicum temporis spatium est in quo locum habere potuit donatio qua idem rex Zarea Iacob auxisse fertur Taualda

notas exhibet.

C

Madchen abbatem Montis Bizan (7). Ne multa : D iudiciis non paucis quae ad unum colligere operae non est pretium liquido demonstratur Vitam Philippi scriptam fuisse non modico intervallo postquam ipse Iohannes obierat.

18. Contra in huius Vita non tam certa sequioris aetatis indicia deprehenduntur. Nihil prohibet quominus eam revera scriptam credamus a discipulo qui Iohannem noverit (§§ 31, 37). Utique nugarum atque ineptiarum plena est, quas qui ferre non potest Aethiopes omnino ne attingat. Sed vel in perabsurda illa profluentia loquendi, testis credulus quidem non tamen improbus agnoscitur, qui res sibi notas hagiographico stilo floribusque ornare conatus est. Ubi dormitat, eius somnia non alterius saeculi spectaculum referunt. Eustathianae sectae studia et Mosaeicae legis instaurationem vix uno verbo attingit, sive moderante Iohanne, hic ardor in coenobio Bizan paulisper defervit, sive temporis gratia dissimulandus fuit. Immo Philippi eiectionem aliasque aerumnas quas in propugnanda illa instauratione expertus erat, silentio praeterit, quasi hora nondum advenerat, cum vetera illa odia denuo excitari possent. Multo minus in narrando res novas praevertit a rege Zarea Iacob postea inductas; neque intempestive studet ut Iohannes partis quae tandem in ecclesia habessinica pervicit, antesignanus fuisse videatur. Propius etiam ad nostram quaestionem attinet quod in Vita Iohannis nulla vestigia deteguntur quae ad Vitam Philippi perducant. Hanc igitur noster non legit; neque certe ab ea didicit quae de Philippo ipse memoravit. Sed hanc numquid ignorare potuisset si iam tum, in eodem coenobio conscripta fuisset et omnibus legenda auscultandaque prostaret? Non desunt igitur rationes cur Vita Iohannis antiquior quam Vita Philippi videatur (8). Praestat tamen in causa obscura iudicium sustinere; quandoquidem ex ambobus documentis neutrum nobis satis certo traditum est.

Huic fide

E

19. Extra montem Bizan eiusque viciniam non admodum late increbruit cultus S. Iohannis. Eius Vitae unum hactenus exemplum repertum est: reliqua fortasse delenti tempus edax; sed non huius certe iniuria factum est ut Iohannis nostri commemoratio in synaxario aethiopico quandoque omitteretur (9). In exemplis autem ubi legitur, satis obscure delituit, donec a Iob Ludolfo ad lucem eruta est, uti iam diximus. In ipso coenobio Bizan, Iohannis gloria brevi obsolevit (10). Num e tribus ecclesiis quas sanctus fertur aedificasse (11) aliqua saltem hodie supersit et conditoris sui vesti-

et fortassis antiquitate

praestat Vita Iohannis.

Iohannis gloria postuma.

F

(1) Vide supra, num. 12, p. 252. — (2) Vita Philippi, CONTI ROSSINI, t. c., p. 120. — (3) Ibid. — (4) Cf. A. DILLMANN, Ueber die Regierung, insbesondere die Kirchenordnung, des Königs Zar'a-Jacob, in Abhandlungen der kaiserl. Akademie der Wissenschaften zu Berlin, Phil.-hist. Cl., Abth. II (1884), pp. 26, 45-47; PERRUCHON, Chroniques de Zar'a Ya'eqōb, t. c., p. xxv-xxvi. — (5) Scriptor ignotus qui Vitam regis Zarea Iacob composuit regnante Lebna Dengel (inter an. 1508 et 1540), testatur se, cum iunior esset, oculis suis vidisse quomodo sabbatum mosaicum olim despectui habitum fuerit. PERRUCHON, t. c., p. 80-81. Etiamsi manum calamo admovit ipso die quo rex Lebna Dengel solum conscendit, tempus tamen quo puer haec viderat postponendum potius quam praecipuum foret. — (6) Vide supra, num. 7, p. 250. — (7) Liber

(1) Vide supra, num. 12, p. 252. — (2) Vita Philippi, CONTI ROSSINI, t. c., p. 120. — (3) Ibid. — (4) Cf. A. DILLMANN, Ueber die Regierung, insbesondere die Kirchenordnung, des Königs Zar'a-Jacob, in Abhandlungen der kaiserl. Akademie der Wissenschaften zu Berlin, Phil.-hist. Cl., Abth. II (1884), pp. 26, 45-47; PERRUCHON, Chroniques de Zar'a Ya'eqōb, t. c., p. xxv-xxvi. — (5) Scriptor ignotus qui Vitam regis Zarea Iacob composuit regnante Lebna Dengel (inter an. 1508 et 1540), testatur se, cum iunior esset, oculis suis vidisse quomodo sabbatum mosaicum olim despectui habitum fuerit. PERRUCHON, t. c., p. 80-81. Etiamsi manum calamo admovit ipso die quo rex Lebna Dengel solum conscendit, tempus tamen quo puer haec viderat postponendum potius quam praecipuum foret. — (6) Vide supra, num. 7, p. 250. — (7) Liber

Axumae, num. xvii; CONTI ROSSINI, Corpus script. christ. orient., t. c., p. 25; versio, p. 28-29. Huius diplomatis adulteratum aliud exemplum ex archivo coenobii Bizan iam ediderat idem v. d. CONTI ROSSINI, Il Gadla Filpos, t. c., p. 164. — (8) Iam notavimus Annales cum Vita Iohannis melius congruere quam cum Vita Philippi. Vide supra, num. 15, p. 253. — (9) Iohannes silentio praetermittitur ad d. 13 chedar in codice bibliothecae Nationalis Parisiensis, Aethiop. 126. ZOTENBERG, Catalogue, p. 162-63. — (10) P. Emmanuel Barradas S. I., qui de origine coenobii Bizan in ipso loco a monachis percontatus est, ne nomen quidem aut Philippi aut Iohannis videtur audisse. BECCARI, op. c., t. IV, p. 267-68. Neque ad alios S. I. presbyteros qui saeculo XVII montem Bizan inviserunt, alterutrius fama pervenit. — (11) Vita, § 23.

-gium

A gium quodquam servaverit, comperire non potuimus. Altamen in forma topographica quam adumbravit L. Bettini, in declivitate boreali montis Bizan signatus est « Conventus Visionis » (1). Forsitan is eo loco situs sit ubi Iohannes e coenobio egressus fertur monachorum suorum pertinaciam cum Domino conquestus ac divina praesentia et ostento consolatus esse (2). Certius ad Iohannem nostrum referendus est puteus abbatis Iohannis, caementario pariete munitus, opere non indecoro, quem idem L. Bettini saeculo XV structum putat, antequam artes in Aethiopia senio vastationibusque exhaustae concidissent (3). De S. Iohannis cultu gloriaque postuma plura nobis non innouerunt.

Editionis fons et ratio. 20. Codex e quo Vita S. Iohannis a v. d. Carolo Conti Rossini fuit edita, folia complectitur membranea 110 numero, 0^m 295 × 0,26, binis columnis perscripta, quorum vacat primum; folia 2-62 complet Vita Philippi, fol. demum 64-110

Vita Iohannis. Ambas exaravit librarius nomine Gabra Dengel (Servus Virginis), filius Valda Filpos (Philippi Filius) et Şeqz Hajmānot (Gratia Fidei), cuius scriptura nitida neque inelegans certam aetatis notam non videtur exhibere. Folia circiter 20, brevitatis causa ab editore ommissa fuerunt, non nimio cum historiae detrimento. Ne tamen mutilum documentum exhiberemus, v. d. Conti Rossini rogavimus, ut locos a se omissos nobiscum communicaret. Qui comiter nobis respondit libentissime id se praestitutum si ad parandam editionem apographum integrum in Erythraea sibi describendum curasset. Quae cum ita essent, textum aethiopicum denuo carptim edere superfluum duximus. Eum igitur interpretati sumus qualis nobis praesto erat (4). Ut autem legentes aliquo modo metiri possent spatia passim in narratione hiantia, foliorum numeros ex editione cl. v. Conti Rossini in margine descripsimus.

AUCTORE
P. P.

B (1) *Bullettino della Società Geografica*, t. c., p. 207.—(2) *Vita*, § 12. Neque Bettini de Iohannis memoria quidquam videtur ab indigenis rescivisse, Philippi autem historia plane fabulosa, quam ex ore vulgi exceperit (*Bullettino*, t. c., p. 209-210), vix aliquid commune habet cum litterarum monumentis quae superius relata sunt.—(3) *Bullettino*, t. c., p. 213.—(4) E librorum mendis, ea tantum notavimus quae narrationis intellegentiam quadamtenus impediunt.

VITA S. IOHANNIS

Latine conversa ex aethiopia editione Caroli Conti Rossini. Cf. *Comm. praev. num. 20.*

f. 64. 1. Incipimus cum gratia domini nostri Iesu Christi describere certamen et reliqua facinora Iohannis coenobiorum patris, qui suboles fuit de semine inclutorum, potentium fortiumque e populo Aḥsea (et) ex principibus Sirae (1). Porro propter contentionem quae inter eos orta est principatus iudicatusque causa, vir quidam, ex Sirae principibus, cui nomen erat Qaso, mutato solo, profectus est et consedit in terra Bur (2), ubi comparavit magnam vim auri argenticque, armenta, fundos et agros. Ibi et villam magnam condidit, quam Aḥseam (3) villam appellavit, non procul ab Aqua Balasī sitam, in qua uxorem duxit filiumque genuit, cui nomen dedit Gabra Crestos (4), virum strenuum, gentiliū suorum defensorem, peritum, opibus locupletem, fortem, suis civiumque rebus agendis idoneum, apud quos haec sors illi obtigit, quia ex illis nasciturus erat sanctus ac propheta catholicus (5). Gabra Crestos vir fuit eximius; qui uxorem duxit nomine Chrysen (6). Erat autem Chryse mulier iusta, ieiunii studiosa

pauperumque amans, quae eleemosynas clam et palam largiebatur et cottidie milies sine intermissione (Deum) adorabat, donec sudore perflueretur. Porro Deum precabatur et oculos ad eum argebat ut filium sibi daret qui Deo acceptus esset. Dum autem in nocte diei dominicae, die XII mensis ter (7), in festo Michaelis, Deum suppliciter obsecrat, contrito animo lacrimisque perfusa, visum illi ostentum est...

2. His diebus febris pestilens hanc regionem infecit; ex qua peste plurimi moriebantur, et vix aliqui convalescebant; ad domum vero Chrysaē et omnium qui illi (8) propinqui erant, non accessit neque (illuc) ingressa est pestilentia febris huius, quoniam virtus Spiritus sancti residebat in infante quem Chryse in utero habebat. Et ut advenit ei pariendi tempus, infantem splendidum, venustum et suavis aspectu peperit die XII mensis chedar, in festo Michaelis, die dominica, <vicesimo quarto> anno gratiae Iohannis evangelistae, sub extremam noctem... Ut autem infans diem qua-

et prodigiosa
nativitas.

f. 65.

f. 65r.

f. 66r.

2. —¹ Supplev. ex *Annalibus Addi-Neammin*; cf. *Comm. praev. num. 7.*

(1) Provincia Sirae, in regno Tigrai, ab occidente oppidi Axum usque ad Tacazze flumen expanditur. Cf. BASSET, *Conquête de l' Abyssinie*, t. c., p. 126, annot. 1. — (2) Duo erant pagi nomine Bur, quorum alter dicebatur maior, alter minor, in regione maritima regni Tigrai. Emm. BARRADAS, *Tratado segundo. Do reino de Tygré e seus mandos*, c. I, BECCARI, op. c., t. IV, p. 85. — (3) Vide *Comm. praev. num. 4*, supra, p. 248; CONTI ROSSINI, *Atti della Accademia dei Lincei*, t. c., p. 166-67.

— (4) I. e. *Christodulus*. — (5) ክብሩ ክብሩ ስብከት ክብሩ. — (6) Vide *Comm. praev. num. 4*, supra, p. 249. — (7) Ianuarii 7, qui dies cum dominica non concurrat ab anno 1369 ad an. 1375. Inde tamen reliqua Vitae chronotaxis non labefactatur. Nempe luce clarius est diem, qui hoc loco significatur, non memoria litteris traditum fuisse sed ab hagiographo e Iohannis natali futili ratione collectum. — (8) Textus: illis; syllepsis designantur Chryse eiusque domus.

-dragesimum

VITA dragesimum attigit, eum ad ecclesiam detulerunt atque baptizarunt in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti eique nomen dederunt Zara Hājmanōt (1)...

f. 69. *Accepta Philippi benedictione,* 3. Porro cum advenit Mār (2) Philippus in eam vastitatem (provinciae) Bur cui nomen est Qualquālā (3), quae prope villam (4) sita est, puerum illum obviam habuit, cui pia benedictione bene precatus est, dicens: «Benedictio Patris et Filii et Spiritus sancti, ac benedictio dominae nostrae Mariae virginis mente et corpore, benedictio prophetarum et apostolorum, ac benedictio vigillum angelorum, et benedictio iustorum martyrumque, benedictio virginum ac monachorum, atque benedictio sanctae ecclesiae, quae est Apostolorum coetus in te resideat et permaneat in perpetuitatem saeculorum saeculi.» Quas benedictiones cum a Mār Philippo prolatas audiissent, dixerunt caelites: «Amen, amen et amen.» Deinde puer spiritale consilium

f. 69r.

in solitudinem secedit.

Prov. 1, 4.

Psalm. 18, 8.

f. 70.

Ad Philippum,

Psalm. 30, 2; 70, 1-2; 30, 3.

Psalm. 56, 2.

in animum induxit; et dixit matri suae: «Ego a te discessurus sum.» Dixit ei mater eius: «Cur me deseris, fili, quandoquidem pater tuus mortuus est? Tu cordis mei solacium et oculorum meorum laetitia. Tu baculi loco es senectuti meae et lucerna aspectui meo. Ne sit in dolore vita mea, neve procul a me delitescas.» Noluit ille (matri) vocem audire; cui dixit: «Benedic mihi.» Dixit illa: «I, nate, quo iturus es; eatque (tecum) Michael angelus, qui ducat te in via iustitiae et pacis, qua perduxit Israel. Ego vero, quas tu inquiris, et ipsa inquiram vias iustitiae; et post te incedam teque sectabor.» Pueri autem animus repletus fuit sapientia et intellegentia, secundum quod ait Scriptura: «<Ut detur > infanti parvulo <astutia, adolescenti > scientia <et> intellectus;» et alias ait: «Deus sapientes facit parvulos.» Itaque educatus est in prudentia et adolevit in Dei reverentia. Deinde ex improvise profectus est, ipse solus. Neque deseruit eum Michael angelus, sed eum assidue custodiebat, ne eum infestarent aut ad eum accederent impuri spiritus Mastemae (5).

4. Cum autem puer e vasta solitudine rediret esse Mār Philippum audivisset (6), consilium inivit cum aliquo monacho huius regionis, quae dicitur Angebenāi, eique dixit: «Per Deum (te obsecro), perduc me ad Mār Philippum.» Is illum secum assumpsit et cum eo profectus eum perduxit ad unum e compitis huius loci. Iam vesper aderat; successit nox. Benedictus autem puer precari coepit his verbis: «In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum; in iustitia tua libera me et eripe me. Inclina ad me aurem tuam, et velociter erue me.» Itidem dicebat: «Miserere mei, quia in te confidit anima mea, et in umbra alarum tuarum spe-

ravi.» Dicebat etiam: «Universi enim qui sustinent te non confundentur. Confundantur omnes iniqua agentes assidue. Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et in semitis tuis dirige me, atque dirige me in iustitia tua.» Cum autem eum his verbis orantem audivisset Ionas monachus, in admirationem coniectus ei dixit: «Quis has orationes te docuit?» Dixit ille: «Quis prophetas apostolosque docuit, nisi ipse profecto dominus eorum Iesus Christus et Paraclitus, qui sapientiam illis dedit. Idem me docuit et sapientem fecit.» Dum autem ambo iter una persequuntur, pervenerunt ad planitiem quandam in media solitudine exporrectam. Subito obviam habuerunt fratres germanos huius pueri ceterosque omnes cognatos patris eius (7). Quos de via procul conspicuas dixit Ionas monacho: «Subsiste parumper.» Et substitit. (Ille) ex imo pectore precatus est dicens: «Domine regnator meus, umbra alarum tuarum me contege, lucis tuae integumento absconde me, et praecceptionis tuae vox sit mihi armatura, qua operiar¹, ne me videant.» Quae cum dixisset, vocem validam e caelo (dicentem) audivit: «Ego te disposui vas electum, sicut Paulum, linguam ambrosiam, patremque te facturus sum millenarum multitudinum.» Quibus dictis, (Deus) ad eum misit Michaellem archangelum, qui eum contegeret deferretque in alis suis lucidis neque eum conspicerent cognati eius. Isti igitur cum monacho illo dextras iunxerunt, qui unus iter agere iis videbatur; eumque osculati ab eo discesserunt; puerum vero non conspexerunt: oculi enim eorum caligazione praestricti erant ne istum viderent.

5. Deinde Ioannes monachus et puer ille ad coenobium Bizan pervenerunt, atque ad ianuam constituerunt. In eos incidit quidam ex ministris, qui dixit iis: «Unde advenistis et quid vobis est negotii?» Dixerunt ei: «Nihil nobis est negotii nisi tantum ut Mār¹ Philippi faciem videamus. Vade igitur eumque roga nostris verbis ut ad eum admittamur.» Abiit ianuuae custos et Mār Philippo nuntium pertulit dicens: «Ecce advenit monachus secum habens puerum aliquem formosum, gratiae plenum, rutilantibus oculis, cuius corpus nondum est extenuatum.» Quibus auditis, Mār Philippus, qui tunc in cella sua consistebat, gavisus est in Spiritu sancto, et dixit ianuuae custodi: «Quare istos subsistere iussisti? Vade festinanter ut eos ad me adducas. Etenim aperuit mihi Dominus meus hunc esse puerum electum: cui benedicens, cum essem in solitudine Qualquālā, cognovi habitare in eo Spiritum sanctum. Nempse is est puer de quo vos olim admonui eum post me patrem vobis futurum; qui vetera novaque praecipiens domum meam confirmaturus sit atque elaturus.

Psalm. 24, 2-5;

f. 70r.

Psalm. 16, 8.

E

Deo protegente, Act. 19, 15.

Luc. 24, 16.

perducitur;

f. 71.

F

qui divino numine admonitus,

3. —¹ Supplev. e Prov. 1, 4.

4. —¹ Textus: et fertile (sic), $\omega\eta\sigma\sigma\cdot\zeta$: lege:

(1) I. e. semen vel sementis fidei. Hoc loco videtur ab hagiographo narratum fuisse quo modo Iohannis parentes filium suum gregibus pascendis destinassent. Vid. CONTI ROSSINI, t. c., p. 66. — (2) Hic et in sequentibus $\sigma\eta\zeta$: quod in ore hagiographi sonuisse videtur quasi nomen quoddam proprium. — (3) Vide Comm.

$\rho\eta\eta\sigma\zeta$:

5. —¹ Textus: Mari.

praev. num. 4, p. 249, annot. 3. — (4) Sive coloniam. Eodem vocabulo intellegi etiam potest urbs vel oppidum. Hic significatur Achsea, quae sedes erat parentum Iohannis. — (5) Sive Satanae. — (6) Vide Comm. praev. num. 3, 15, supra, pp. 248, 253. — (7) Vide Comm. praev. num. 4, p. 249.

puerum
excipit,

6. Monachi, cum senem haec dicentem audivissent, mirati sunt et eos quos modo reppererant ad Mār Philippum adduxerunt. Qui ut puerum conspexit, ulnis eum suscepit, in gremium suum deposuit, manibusque eius collo circumplexis, osculum spiritale ei impressit, et dixit ei: «Salve, filiule, quis te adduxit huc, ad monasticam solitudinem, quam nec viri nec mulieres incolunt?» Dixit puer benedictus: «Adduxit me ad te providentia Dei, ut sequerer vestigia tua, et a te sublimem legis ac praeceptorum eius observantiam discerem.» Admiratione affectus est senex cum pueri suavitatem vocis audivisset eiusque (cerneret) ardorem vultus ac formae venustatem. Erat autem dies ille duodecimus mensis tāchsās, in festo Michaelis angeli, quo tempore decimum quintum aetatis annum (puer) attigerat (1). Dixit porro Mār Philippus:

f. 71^v.

Isaac discipulo suo

«Ite, advocate monachum illum nomine Isaac (2) (virum) sapientem et doctum, unum ex decem et septem discipulis, qui in solitudine mecum habitavit; (est) enim vir ascetico labori et temperantiae deditus.» Adduxerunt eum et stetit coram sene, qui dixit: «Isaac!» Dixit ille: «Quid est, domine?» Dixit ei: «Accipe puerum hunc, eumque doce Dei oracula; informa eum ad omnia bona opera et virtutes, et fac ut discat octoginta et unum libros legis.» Dixit ei Isaac: «Fiat, domine, quod optas.» Et post paucos dies, iuvante Deo, omnes legis libros comprehenderat ac memoriae mandaverat; Sapientiam Salomonis et Sapientiam Sirach didicerat; insuper didicit Iob, Danielem omnesque prophetas minores; didicit quoque legem (Mosaicam), Evangelium, patrum nostrorum Apostolorum epistulas omnes, eorumque expositiones omnes quae de Christo sunt; eratque acutus et intellegens.

f. 72.

C

et mox
veste
monastica
induit.

7. Interrogavit autem senex Philippus Isaac: «Naviterne discit puer oracula Dei? Fac eum doceas quae tibi praecepi.» Qui dixit ei: «Profecto, pater, omnia perdidit. Neque ego eum docui, sed Spiritus sanctus qui in eo inhabitat, ipse docuit eum adeo ut evaderet omnibus praestantiis. Mihi quidem videtur, domine, apud alium quemdam didicisse.» Dixit senex: «Sit gloria Domino meo, propter ea quae huic puero manifestavit.» Proinde Philippus, cum illum eatenus profecisse comperisset, vestem monasticam iussit afferri, et facta super eo precatione, suis ipse manibus habitum ei cingulumque induit (3), eius aetatis anno quem tunc attigerat: divino enim oraculo sic agere iussus erat. Et nomen ei dedit Iohannem eumque instituit in omnibus iustitiae praeceptis legibusque vitae monasticae...

8. His porro exactis (4), consenuit Mār Philippus aetatisque suae terminum assecutus nimis se ieiuniis ac laboribus enectum sensit. Cum autem morti proximus esset, advenit angelus Dei, cui nomen est Gabriel princeps: is enim illi custodiendo destinatus fuerat¹, omnibus diebus eius. Et dixit ei: «Salve.» Respondit ei senex dicens: «Quis es tu?» Dixit ille: «Ego sum Gabriel angelus, qui < te custodivi² > ab infantia tua.» Dixit ei (sanctus): «Quid dicis, domine?» Dixit illi (angelus): «Ad te me legavit dominus meus. Compone domum tuam, tuisque praefice qui eos custodiat. Nam brevi ex hoc mundo illuc migraturus es ubi non est febris neque morbus.» Quae cum dicentem angelum audivisset, gavisus est et exultavit in Spiritu sancto. Et ineunte circuitu annuo, in festo Iohannis Baptistae,—qui dies erat dominicus (5)—praecepit Mār Philippus ut signum pulsaretur omnesque filioli sui convenirent, qui numero erant DCCCCCLXVII. Et dixit iis: «Audite, fratres mei ac filii: consenui equidem advenitque mihi tempus demigrandi ex isto fragili mundo. Proficiscor ad Deum dominum meum, sicut nuntiavit mihi angelus eius qui custodit me. Vos autem (eum) eligite qui pater vobis post me futurus sit et animarum vestrarum rebus consulat.» Quae cum illis dixisset, acerbo fletu illacrimati sunt neque vocem coram eo attollere potuerunt, nimia eius reverentia prohibiti. Et rursus eadem iis dixit atque prius.

9. Tum aegre illi cum stupore ei responderunt dicentes: «Dum tu ades, altero magistro non egemus.» Dixit illis: «Nonne igitur, filioli, audiistis quid dixerit propheta: «Quis est homo qui vivet, et non videbit mortem?» Itidemque ait Paulus: «Verbum absconditum vobis dicimus: nempe omnes moriemur.» Agite vero, vobis eligite qui vobis futurus sit pater eumque mihi exhibete.» Dixerunt ei: «Tu modo fac quod tibi mandavit Deus, nobisque praestitue quem tibi liberit, et in verbo tuo nos iuvabit.» Dixit iis Mār Philippus: «Deus inter vos magnum fecit Iohannem eumque constituit, qui vobis pater esset: (ita)que eius voci oboedite.» Cum autem haec verba audivissent a Mār Philippo prolata, pauculi ex fratribus murmurare coeperunt dicentes: «Sunt coenobii (viri) summi, qui senuerunt: pater Iebārcana Crestos (6), qui propter rectam fidem martyr fuit apud infideles; et pater Ieremias (7), miraculorum patror, qui nubibus imperat et ad cuius vocem pluviam fundunt; item pater Frumentius (8), qui prunum signo crucis benedicens diffidit et aquae canalem in ea ostendit; et pater

VITA
f. 74^v.

Philippus,
ad Domi-
num
enocatus,

f. 75.

Is. 18, 1:

discipulos
admonet

E

ut coeno-
biarcham
sibi eligant

Psalm.
88, 49;
1 Cor.
15, 51.
f. 75^v.

et renuen-
tibus illis,
Iohannem
ipse
designat,

non sine
invidorum
fremitu.

8. —¹ Textus: loquebatur, 𐌶𐌵𐌹: lege: 𐌶𐌵𐌹: —² Supplev. e contextu.

(1) Vide Comm. praev. num. 15, supra, p. 253. — (2) Memoratur inter primos Philippi discipulos de quibus infra, ad § 8. — (3) Is primus est e tribus gradibus in susceptione habitus monastici, Habessinorum ritu. Vide I. GUIDI, in *Dictionnaire d'histoire et de géographie ecclésiastiques*, t. I, col. 226. — (4) Vid. Comm. praev. num. 5, 15, supra, pp. 249, 253. — (5) Vide Comm. praev. num. 13, supra, p. 252. — (6) *Benedicat nos Christus*. Unus e primis Philippi discipulis, qui ad eum convenerunt in solitudine Guadā, antequam
Novembris Tomus IV.

de condendo coenobio Bizan cogitaverat (*Vita Philippi*, ed. CONTI ROSSINI, p. 88). A Philippo coloniam monachorum deducere iussus est (ibid., p. 109); et exulante Philippo Montem Bizan rexit vicaria potestate (ibid., p. 112); cf. Comm. praev. num. 3, 15, 16, pp. 248, 253. In *Vita Philippi*, successor Iohannis appellatur Iebārcana Crestos. Vide Comm. praev. num. 16, supra, p. 253. — (7) Diaconus, de quo *Vita Philippi* isdem fere locis atque Iebārcana Crestos. — (8) 𐌶𐌹𐌸𐌰 𐌶𐌵𐌹𐌸𐌰

VITA

Silvanus (1), qui sicut Iohannes Baptista lavit pedes Domini nostri, quando ad eum venit simulata specie peregrini, et alii multi, qui fuerunt viri ascetico labori ac certamini dediti.» Dixit Mār Philippus discipulis suis: «Eos, quos dixistis, novi esse eximios et sanctos. (Sed) in solitudine agenti mihi (sic) locutus est angelus meus, cuius tamen faciem non videbam. Nempe uni Iohanni oboedite; hunc enim Deus supra vos extulit, neque ei resistite ne in scandalum offendantis.» Itaque omnes una dixerunt: «Dicto Dei dictoque tuo cedimus.» Iohannes autem, gemma pretiosa, ex imo pectore vim lacrimarum profudit, atque in medio illorum omnium coetu et coram patre suo dixit: «Equidem omnium hominum sum ineptissimus, humanaque prudentia non est in me. Quomodo sim ego pater? Qui mihimet ipsi non profui, aliis non prodero.» Et plurimo eflagitatu plurimoque oratu (permotus est ut) se consentire profiteretur magistri-

f. 76.

que sui dicto paruit. Exinde per annum Philippus, sicut dixerat, eum instituere perrexit atque in Dei reverentia confirmare, et omnia quae futuris temporibus illi eventura erant praedixit et vaticinio praedocuit.

Philippi
novissima
verba,

10. Deinde Mār Philippo moriendi tempus advenit; qui Iohannem, gemmam pretiosam, accessivit eique dixit: «Fili, constans et stabilis esto, atque fratres quoque tuos in praeceptis Dei legibusque iustitiae confirma, quas ipsemet edixi. Scito quidem post mortem meam, in diebus tuis, discipulos meos in meliori condicione futuros, quam ea tempestate qua nunc vivimus, multamque gratiam tibi datum iri, quam homines praedicabunt; nomen tuum multorum magistrorum (nomen) superabit, et oracula tua per totam Aethiopiae terram sibi audientiam facient, sicut (oracula) patris mei Eustathii. Tu autem, fili, Deum reverere, nec nisi in illo nitaris. Noli timere; tibi enim <non¹> resistent discipuli mei; neque ego post mortem meam te deseram; et magnus est qui custodit te.» Quae verba cum dixisset, manus suas in eius caput imposuit eumque benedixit et continuo egressus est spiritus eius. Iohannes, gemma pretiosa, in eum prona facie corruens acerbo fletu illacrimatus est, pariterque fratres eius universi. Et sepelierunt eum in tumulo quem, dum vivit, sibi ipse foderat. Sic igitur post obitum Mār Philippi, Iohannes sodalitatam pater factus coepit fratres instituere et de spiritualibus eorum commodis admonere...

f. 76v.

et obitus.

C

f. 77.
Pervicacium monachorum seditione
f. 77v.

11. Multi (porro) eius vocem auscultantes aedificabantur et ad monasticam perfectionem perveniebant. Pauci autem homines quos diabolus invidia stimularat, seditionem concitaverunt, fratres universamque domum commoverunt, res commenti sunt quae non erant, neque sibi temperarunt, quominus eminentium

crimen illi imponerent violatae regulae monasterii, ut eum ab eius munere decerent; quoniam scriptum est: «Si recesserit magister a lege domus, decidat e cathedra sua (2).» Cum autem illis omnia frustra fuissent, ad eum adierunt, quasi bono animo consultantes, eique suaserunt ut aliquid contra fas ageret, eum in eius factis perdere volentes. Ille fraudem eorum perspexit, negavitque se consiliis eorum assensurum esse. Qui tamen a suis malefactis non cessarunt, sicut ait Salomon: «Non dormiunt, qui devorant escam peccati»; ipse vero Dominus noster ait in Evangelio: «Malus homo de malo thesauro pectoris sui malum profert.»

12. Ut igitur Iohannes coenobiarcha perspexit eos omnibus eorum dictis factisque requiem sibi non duros, egressus extra monasterii fores ad latus eius orientale (3), prope sanctorum sepulcra, pronus in faciem concidit humique se prostravit, et acerbo fletu illacrimans inique ex pectore ingemiscens, precatus est his verbis: «Domine, dominator mei, qui pectora nostri renesque scrutaris, tu nosti me illis molestum non fuisse, neque adversus eos quidquam egisse aut deliquisse, iisque me bona optare sicut mihimet ipsi. Illi autem factis moribusque suis me lacescunt, neque ab iis se removerunt, ut recta (via) incederent moresque suos corrigerent. Tu igitur, Domine dominator mei Iesu Christe, inter me et illos iudex esto, mihique dona gratiam tuam, quae mihi aliisque adsit. Insuper dona mihi sapientiam et scientiam, ut populum tuum in iustitia dirigam. Effunde in me desuper Spiritum sanctum, et spiritu potenti confirma me, ut doceam peccatores vias tuas et male agentes mandata tua, adeoque istos ad te convertam.» Quae cum dixisset e terra surrexit atque in pedibus constitit. Cum autem oculos suos sursum arrexisset, en caelum quasi in duas partes dehiscere ei visum est apparuitque ei angelus Dei ingenti luce circumdatus, quae verbis explicari non potest; et vox exorta est dicens: «Iohannes, amice mi et familiaris, noli timere neve quidpiam formidaveris: nempe exinde gratia mea tecum erit idemque favor tibi obtinet atque Ioseph filio Iacob Israelis. Neque tibi (super) est nisi modica tentatio, quae tibi accidet ex annonae penuria, quam fratres patientur Haud enim aliter Ioseph primum a fratribus suis in discrimen adductus et in domo domini sui tentatus est; qui postea regiam potestatem principatumque obtinuit et nomen aeternum sibi comparavit. Tibi quoque pariter atque illi, post brevem tentationem, amplissima gratia obtinet, quae nemini alii data fuit, et charismata obtinebis multa et praeclara donaque eximia. Ad illos autem homines monachos quod attinet, qui te molestia affecerunt, cerne quid illis eventurum sit, quia tecum ego sum neque te dese-

Prov. 4,

16-17.

Matth.

12, 35.

Iohannes

exanima-

tus

Ier. 17, 10.

f. 78.

Psalm.

50, 14-15.

divino

ostento

recreatur.

F

(f. 78v).

10. —¹ Supplev. e contextu.

(1) Nec Frumentius nec Silvanus in *Vita Philippi* occurrunt. Ceterum facta et prodigia quae de his, de Iebārcana-Crestos et Ieremia hic obiter memorantur quasi legentibus iam nota essent, sive e documento hagiographico sive alia quadam ratione, pervulgata fuerint necesse est. Rursum igitur patet in *Vitam Iohannis* influxisse

fontem, qui non sit hodierna *Vita Philippi*. — (2) Haec videtur sententia edicta fuisse in typico monasterii. Non tamen legitur in huius epitome, quam memoravimus in *Comm. praev. num. 3, supra, p. 248, annot. 4.* — (3) Vide *Comm. praev. num. 19, supra, p. 255.*

-ram,

A ram, famule mi Iohannes.» Tunc iterum repentina vox divinitus edita est, dicens: «Succidite arbores huius montis (1).» Cum autem oculos sursum arrexisset Iohannes coenobiarcha, visae sunt ei praecipitari arbores cedri excelsae validique oleastri. Perterritus Iohannes coenobiarcha ingemuit dicens: «Domine dominator mei, noli sic agere. Recordare laborem Philippi servi tui, qui dolores pertulit crucis tuae. Ecce iamiam eversa est ista domus.» Continuo respondit Dominus Iesus ei que dixit: «Noli timere neque animo angaris, Iohannes electe mi, etsi cedri illae oleastrique succidantur. Ipse earum loco seri iubebo vites, ficus, mandragoras, pomos, malos punicas, amygdalas, et omne genus arborum fructuosarum. Ego voce mea (sic) edico: cum eradicavero ex area tua spinas atque vepres, arbores illas seram suave olentes.»

i. 79.
Pervicaces
monachi

lue
pestifera

ad poenitentiam
adiguntur.

1. 79v.

Inopia et
jame

13. Quod cum a creatore suo dictum audivisset Iohannes, gemma pretiosa, animo suo gaudens domum rediit neque ulli hominum donec tempus adfuit, de iis quae viderat atque audierat locutus est. Post paucos autem dies, elapso nati- vilitatis festo domini nostri Iesu Christi, pestilens lues erupit in illos monachos, qui Iohan- nem amicum Dei contempserant, et cottidie quaterni, quini vel seni moriebantur. Multos quidem monachos mors abstulit; fuitque numerus eorum qui ex hac lue pestilenti mortui sunt, unus et sexaginta (2). Sancti autem et iusti quos pestis infecit propterea quod Iohannem, gem- mam pretiosam, afflixerant... (3). Nonnulli vero monachi ex eius domo recesserunt. Deinde, sic volente Deo, monachi qui superfuera multi- plicari coepti sunt, sicut multiplicatur frumen- tum, postquam ex eo ablata sunt zizania utili- tate carentia: hunc etiam in modum nonnulli ex illorum domo remoti sunt. Cum autem fra- tres monachi qui residui erant lue et dispersi- onem cernerent quae illis evenerant, imposito in collum suum lapide, subter pedes Iohannis coenobiarchae se prostraverunt (4). Qui dixit iis: «Quid vobis est, fratres mei?» Responderunt ei dicentes: «Haec omnia nobis acciderunt, quia tibi restitimus, maestitia te affecimus et man- data tua non observavimus.» Dixit iis Iohan- nes amicum Domini: «Ignoscat vobis Dominus meus Dominusque vester quidquid adversum me deliquistis.» Exinde igitur mores suos immu- tarunt, fueruntque veluti oves mansuetae.

14. Postquam haec acta sunt, Deus in eo perfecit quod ante ei dixerat, cum visum (illud) ei ostenderet. Fames igitur valida fratres oppres- sit, plurimique mortui sunt tam ex iunioribus quam ex senioribus. Ille autem eos confirmabat et adhortabatur, iisque Scripturae oracula obic- iebat, his verbis: «Mementote, fratres mei, ea quae Iudith filia Merari dicebat populo Israel, cum obsideret¹ eum populus Assur. Quapropter laudibus prosequamur Deum dominum nostrum

quod nos probaverit, sicut patres nostros. Mementote omnia quae egit cum Abraham; quot (modis) Isaac tentaverit; quanta Iacob acci- derint pascenti oves Laban fratris matris suae in Mesopotamia Syriae. Et re quidem vera nonne sicut tentavit angelos² suos (Deus, sic et) illo- rum pectora scrutatus est? Nobiscum etiam sic agit Deus, non ut nos affligat, sed sicut acceden- tes ad se probare solet ut eos erudiat. Praeterea mementote quod narrat sanctus liber Regum, tempore David famem per tres annos fuisse; et ita porro. Vos igitur, fratres mei, patientes estote et confirmate pectora vestra.» Itaque fratres, sicut iis praeceperat, fortes se praesti- terunt in patientia. Etenim maior pars fratrum erat ex antiquis patribus, qui cum Philippo eremita vixerant. Qui ad tolerantiam se ipsos subegerant, iidemque fratres hortabantur ut animo ne caderent, cum fame premerentur; sicut dixit Apocalypsis: «Isti vicerunt eos propter sanguinem Agni et propter vocem iustitiae sanc- torum, quia non dilexerunt animas suas usque ad mortem.»

15. Iohannes vero, gemma pretiosa, prophe- tes et sanctus, ieiunio, oratione, crebris lacri- mis, vigiliis multis se ipse enecabat; et quamdiu fratres egestate laborarunt, neque apud reges, neque apud principes, neque apud populares, neque apud alias monachorum domos opem quaesivit, sed solum Deum suspiciens preca- batur, qui abscondita novit, qui pectora scru- tatur, et mundum propter gloriam suam ex nihilo eduxit. Cum igitur eius patientiam fidei- que constantiam perspexisset dominus noster Iesus Christus, illi repente se ostendit in eius cella, dicens: «Quid animo angeris, Iohan- nes electe mi? Aut quid exoptas ut tibi praes- tem?» Dixit ei Iohannes, gemma pretiosa: «Ne sinas mihi deesse unde fratres alantur.» Dixit ei Deus: «Id quidem tibi dabo, et alia insuper bona quae me non rogasti tibi adiciam. Exinde benedictio mea plenissima, quae non imminuetur, erit in domo tua et in sorte tua. Mores hominum, eorumque cogitationes et ac- tiones, quae bonae aut malae fuerint, omnes tibi manifestabo, ut eas noveris, o Iohannes electe mi.»

16. Exinde igitur finem cepit eorum penuria successitque prosperitas. Et in illo re compro- batum est Dei oraculum, quod ait in Deutero- nomio: «Si audieris vocem Dei Domini tui, benedictus eris in agro, benedictus eris in civitate; benedictus erit fructus terrae tuae, benedictus erit fructus ventris tui, et praedia <...>¹ armentorum tuorum, et greges ovium tuarum; benedicta erunt horrea tua et conditoria tua; benedictus eris in ingressu tuo, benedictus eris in egressu tuo.» Haud aliter et huic benedixit in omnibus, neque ei deesse passus est quod optabat. Benedixit omnibus operibus manuum

VITA

Eccl. 2, 1:

2 Reg.
21, 1.

f. 80.

Apoc.
12, 11.

E

Iohannis
merito

divinitus
sedatis,

3 Reg.
3, 13.

f. 80v.

F

succedit
abundan-
tia.

Deut. 28,
1, 3-4.

14. — ¹ Textus : ארתפום : lege : ארתפום :
— ² Textus : אלהת : lege : אלהת :

16. — ¹ Nonnulla desunt.

(1) Sive coenobii. — (2) Cf. Comm. praev. num. 12, supra, p. 252. Admiranda est in aethiopico narratore moderatio, qua ab augenda strage sibi temperavit. Attamen ex tota ora-

tionis consequentia videtur multo maior nu- merus mortuorum indicatus fuisse. — (3) Tex- tus hoc loco videtur corruptus. — (4) Cf. in- fra, § 26.

eius

VITA eius, horreis atque conditoriis eius, et omnibus quae ad usum ecclesiae opus erant. Cellam eius penariam locupletavit; adeoque comedebantur vetustissima veterum usque ad alterum et tertium annum, (donec) proiectis veteribus, recentia inferrentur. Atque opere comprobatum est oraculum quod in lege (Moysis) dictum fuit. Neque in diebus illius imminuti sunt fontes aquarum. Eius horti et agri benedicti fuerunt in diebus eius. Fratres quoque numero et virtute plurimum aucti sunt; et volitabant sicut pulli columbarum aut sicut examen apum (1). Rursus leges omnes quae obsoleverant innovavit; procuratores constituit in omnibus locis (2); item constituit et vicarios qui sibi subditos moderarentur; item seniores et (horum) collegas constituit; suum cuique ministrandi ordinem fratribus assignavit. Et cunctis eius domibus Deus benedixit...

f. 84^v.
f. 85.
Iohannis laus,
maiestas,
auctoritas.

C

f. 85^v.

Qui autem cum iactantia ad eum accedebant ei resistere non poterant. Iuvenes eum conspicati ab eius aspectu se abscondebant; tremebant seniores cum ad eos responderet, fortes autem deficiebant, loqui non poterant, faciem suam manibus comprimebant, eum mirabantur, rigebatque iis lingua in faucibus eorum. Eius sapientiae vocem auscultabant et beatum eum praedicabant; maiestatem eius intuebantur, eumque formidabant...

18. Rursus, aliquanto tempore post hunc diem, fratres misit in terram Şalamt (3) propter monasterii negotia. Illi autem profecti pervenerunt ad iuga Abêr Embâ (4). Porro aliquis ex eorum numero aridam arborem vidit praerupto loco imminetentem, qua (uti) voluit ad sarcinas eorum comportandas. Accessit igitur, eam securi percussit, manumque sursum profendit ut eam apprehenderet; quae casu quodam rupta decidit et simul cum ea praeceptus ille actus est. Erat autem deiectus ille ingentis altitudinis aspectuque formidabilis. Subinde monachus in haec verba prorupit: « O pater mi Iohannes, ne derelinquas me: magna sunt enim prodigia tua. » Et continuo praesentissimus ille adfuit, manibus eum sustulit neque ad terram pervenire sivit cum eius ascia et cum arbore quam desecuerat in manu eius; et deposuit eum deorsum ad radices praerupti montis in magna platea, ubi emporium habebatur. Erat autem huic monacho nomen Gabra Crestos (5). Porro sodales eius artus eius dispersos credentes, in varias partes diffugerunt ut eius membra colligerent, si quid ex iis reperire possent. In itinere ipsum ad eos revertentem obviam habuerunt. Quem cum vidissent eius sodales, ingenti gaudio perciti eum interrogarunt his verbis: « Quo tandem modo ex hoc formidabili deiectu servatus es, cuius altitudo et profundum aestimari non possunt? » Dixit illis: « A quo servatus sim, novit Dominus meus. » Illi in nomine Domini sui eum obsecrarunt. Itaque rettulit omnia quae sibi evenerant. Dixit illis: « Pater meus et pater vester, prodigiorum effector, me complexus servavit, manifesta praesentia; neque eum agnovi, ingressu deruptorum. » Et una voce dixerunt eius socii: « Gloria Deo huius prodigii effectori. »

f. 94.
Ruentem e monte
f. 94^v.
suscipit Christodulum monachum.

F

E flumine

19. Cum autem iidem fratres iter retro flexissent ut domum reverterentur, pervenerunt ad amnem Tacazi (6) pleno alveo fluentem. Huius traiciendi fratribus copia non erat. Unus ex illis, ut (animo) praeceptus erat, eum ingredi voluit. Et fratribus eum in nomine Domini sui adiurantibus dixit: « Sinite me, obsecro vos. » Cum autem (dicta) eorum asperraretur, dimiserunt eum. Vadit nihil territus et amnis fluctibus eum sub-

18. — ¹ Aliquot litterae desunt.

(1) Eadem comparatio ex communi quadam apotheca plenius deprompta est in *Vita Philippi* (CONTI ROSSINI, p. 92): *et volitabant sicut pulli columbarum aut sicut examen apum, quod pabulatur in floribus ad javos conficiendos.* — (2) I.e. *monasteriis*. Illa aetate, octo erant coenobia minora Monti Bizan subiecta. DILLMANN, *Ueber die Regierung des Königs Zar'a-Jacob*, loc. c., p. 46. — (3) Provincia inter regnum Tigris et Samên Amharae provinciam. Cf. EM, DE ALMEIDA, *Hist. Aethiop.*, I, 3, BECCARI, op. c., t. V, p. 13; PER-

RUCHON, *Chroniques de Zar'a Yd'eqôb*, p. 96, annot. 3, et CONTI ROSSINI, *Atti della Accademia dei Lincei*, t. c., p. 169. E capite insequente narrationis constat a Iohanne monachos suos missos fuisse trans flumen Tacazze. — (4) Cf. CONTI ROSSINI, *ibid.* — (5) *Christodulus*; cf. supra, § 1, p. 255, annot. 4. — (6) *Tacazi*, i.e. *amnis vel fluvius*. Flumen altae Aethiopiae qui in Atbaram et per hunc in Nilum influit; cf. P. PAEZ, *Hist. Aethiop.*, I, 27, 7, BECCARI, op. c., t. II, p. 271.

A mersit, atque duorum circiter stadiorum spatio abripuit. Continuo lamentabilem clamorem edidit et dixit: « Domine Deus, domine patris mei Iohannis, auxiliare mihi; serva me et eripe me e fluctibus huius amnis; neque me tradideris irrisoni et ludibrio, quod fratrum meorum dictis oboedire noluerim. » Continuo advenit sanctus Iohannes splendore coruscans fulgentique curru vectus: qui ex amnis fluctibus eum extulit et in alteram ripam una cum sarcina quam ferebat deposuit. Porro fratres per ripam amnis huc illuc diffugientes prospiciebant, si quo modo eum eripere possent. Ut autem hunc monachum e flumine egressum viderunt, fratres in admirationem stuporemque coniecti sunt. Et postquam fluvium et ipsi transmiserunt, illum rogaverunt iidem fratres ut sibi narraret quid contigisset. Qui rettulit iis omnia quae cum illo egerat Deus, et quomodo sanctus Iohannes eum (e flumine) eduxisset. Erat autem huic monacho nomen Iacobus...

Iacobum eripit.

f. 95.

f. 95^v.
Fratres sex

20. Deinde nono post mense, mense choiac (1), qui mensis est tāchsās, sanctus Iohannes missis nuntiis discipulos suos invitavit eosque (ad se) arcessivit. Et coram eo constituerunt hi sex: Bisoes, Taulda Madchen (2), Poemen, Moyses, Symeon et Isaias. Quibus dixit: « Ite, assumite vobiscum arboreti fructus: sandaracam, sinapim, iuglandes, mandragoras, mel, saccharum, unde ematis ex omnibus nundinis res monasterio necessarias ac pelles caprinas ad vestes vobis culeosque (conficiendos). » Abierunt illi et sicut iussi erant quae sibi necessaria essent, omnia coemerunt. Cum autem iter retro convertissent, inciderunt in eos Ismaelitae qui dicuntur filii Samrae (3), in quibus habitat spiritus Satanae, qui opes terrestres nullas quaerunt praeter humana tropaea (4). Hi equos suos conscendentes hastarum cuspidem absciderunt, gladiorum acie cervices eorum absciderunt, res eorum cunctas diripuerunt eorumque cadavera proiecerunt. Unus autem ex iis, cum fuga se prorsuisset, fratres monuit qui monasterio vicini erant. Itaque noctu complures monachi ad illos exierunt, eorumque cadavera in via iacentia repererunt. Neque eorum corpora ferae solitudinis aut volucres caeli devoraverant. Corpora illorum non putruerant, neque fetidus erat odor qui ex iis afflabatur. Fratres igitur corpora illorum sancta extulerunt, eosque acerbo fletu complorantur dicentes: « Quis nos illis pares faciet, ut martyrii cruore baptizemur? » Et sepelierunt eos¹ in domo Gabriellis (5), inter lamentationes plurimas, nec nisi post multos dies luctum deposuerunt. Deinde sancto Iohanni, cum in cella sua esset, rem detulerunt his verbis: « Pater, discipulos illos tuos quos (foras) misisti, cum

ab Ismaelitis occisos

C

f. 96.

infideles cuspidem hastarum et gladio interfecissent, resque eorum diripiissent, eorum corpora humi condidimus. »

21. Quae cum audivisset sanctus Iohannes dolore indignationeque commotus est. Et precari coepit his verbis: « O Domine, et domine Michaelis, domine patrum meorum Eustathii et Philippi, numquid me abieceris? Aut quomodo mei sic oblitus es ut mihi non pridem manifestares haec omnia quae propter peccata mea egisti? An propter peccata discipulorum meorum factum est ut seditionem moverent Ismaelitae dura cervice et occaeco corde, qui te semper ad indignationem provocant, neque mandata tua exsequuntur, (homines) in quibus multa sunt stultitiae (6) genera? Quare igitur occiderunt (illi) discipulos meos et in terram effuderunt sanguinem eorum, qui corpus tuum sanctum comederant, qui sanguinem tuum venerandum biberant, qui in doctrina nova et antiqua educati fuerant? » Haec cum diceret (pronus) in faciem humi corruit; cinerem pro vestimento induit, neque surrexit ante quattuor dies et quattuor noctes. Et vox ei caelitus exaudita est dicens: « Iohannes, Iohannes, amice mi et electe, noli maerere quoniam neque propter peccata tua hoc factum est, neque propter peccata discipulorum tuorum. Surge, erige te: ego in illorum (casu) te consolabor et laetificabo. » Dixit Iohannes: « Non surgam donec allatam a te salutem videro, (aut) nisi in istis infidelibus prodigium mihi ostenderit, ut nomen sanctum tuum celebrem et gloriae tuae magnificentia extollatur. Tu quippe mirabilis es in sanctis tuis; tu prodigia operaris, et nihil est quod a te fieri non possit. » Et rursus a Domino vocem audivit dicentem: « Quaecumque expetivisti et exoptasti tibi a me ipso praestabuntur neque a quolibet alio. Omnia quae ex providentia et mea et Patris mei, atque ex benevolentia Spiritus sancti evenerunt ne tibi videantur fraude inimici accidisse, sed hoc disposui ut nomen tuum amplificaretur in terra et in caelo, et ut discipuli tui in martyrum numero haberentur, qui propter me sanguinem suum fuderunt, atque ut nomen eorum in caelestibus tabulis inscriberetur. »

22. Quae postquam audierat (Iohannes), ad eum advenit Michael angelus, qui eum erexit, solatus est, et collustravit eum fulgore suo seraphico. Et tertio eum alloquens, dixit ei Dominus: « Numquid pro te, o dilecte mi Iohannes, idem faciam atque in iis qui Moysi restiterunt, Dathan et Abiron, quos devoravit terra; et in discipulis Core, quos ignis absorpsit cum magistris eorum turibula (gerentes)? Aut ad vocem oris tui, ignem tibi depluam sicut in Sodomam et Gomorrhham, aut sicut Elias (fecit) dicto suo,

VITA

lugel Iohannes,

(f. 96^v).

et ullionis divinae

Psalm. 67, 36.

arbiter factus,

f. 97.

20. — ¹ Textus: eum.

(1) ח'כ'פ' : Cf. DILLMANN, in lexico, p. 841. — (2) Vide Comm. praev. num. 7, supra, p. 250, annot. 8. — (3) سمره : Sāmrah, Arabibus dicta Samhar, planities est ad oram maritimam Habessiniae. Vide LAOUT, *Mo'gam al-buldan*, ed. F. WÜSTENFELD, t. III (Lipsiae, 1868), p. 146-47. Eius incolae plerique iam pridem ad moslemicam religionem transierant. Cf. *Vita Philippi*, p. 106; ad quem locum CONTI ROSSINI, p. 158.

— (4) דאג'ת : sive « victoriae signa, tropaea », Gallanis erant turpes arunculae quas ex interfectorum hostium corporibus abscindebant. Cf. LUDOLFF, *Historia Aethiopia* (Francofurti ad Moenum, 1681), l. I, cap. 16, 21-22. — (5) I. e. in ecclesia Gabriellis archangelii, ea profecto quam ipse Iohannes aedificasse legitur infra, § 33. — (6) הג'ס'ת : cf. syriacum ܚܫܝܘܬܐ , *casus fortuitus, temeritas, cet.*

ut

VITA ut ignis ducentos homines consumeret, qui erant cum duobus eorum praefectis? Quidquid exoptaveris, tibi praestabo, et vota tua omnia perficiam.» Respondit sanctus Iohannes et dixit: «Id te precor, Domine dominator mei, Iesu Christe: quandoquidem increverunt turpitudines infidelis huius gentis impiorum (1) et incircumcisorum, in quibus est praepitium iniquitatis (2), concitatorum aestu spiritus Satanae; qui tamquam deum colunt lignum, lapidem, et omnia simulacrorum genera; qui lacte camelarum nutriuntur, qui carnem dasypodis (3), qui feris beluis volucrisque et ex omni spurcitiarum genere pasci numquam desinunt; qui collo manibusque suis nomina impuri Mohammadis circumdata gerunt; qui se totos canum sanguine perfundunt; qui uxores sibi ducunt sorores suas, ex eodem patre, immo etiam ex eadem matre (natas); quorum agendi ratio pecudum moribus similis est; quorum oblectamentum caedes; quorum deliciae omnia luxuriae (genera); qui hariolantur et omina captant estellis avibusque; quorum omne agendi genus foeditas et impietas est; — ostende virtutem tuam in gentes illas impias; fac mihi virtutem novam, mihi que dona copiam imitandi Eliae, quando nubes pluviamque conclusit, ut discipulos meos ulciscar, adeoque per illos celebretur nomen sanctum tuum et in operibus tuis mirabilia videantur prodigia tua.» Dixit ei Dominus eius: «Fiat sicut dixisti.»

f. 97v.

siccitatem indicit,

23. Deinde oculos suos sursum arxit sanctus Iohannes caelumque suspiciens ei dixit: «Adiuro te et obtestor, per nomen Domini mei Viventis, ut ne des pluviam nubibus, sed ut quasi aeneum fias supra illas.» Rursus imperavit nubibus his verbis: «Vos autem adiuro et obtestor, per nomen Domini mei Viventis, ut ne conspiciatur peripetasma vestrum super caput impiorum istorum neque pluviam demittatis.» Deinde dixit etiam angelo nubium: «Adiuro te et obtestor, o angele ignis, o angele lucis, ut pluviam ne dimittas. Nubes freno coerce: quippe quae dictis tuis oboediant.» Responditque angelus nubium sancto Iohanni eique dixit indignabundus: «Quis tibi hoc permisit, aut quis tibi potestatem dedit haec audendi, terrigena? Ab his desiste. Nonne caelites angeli provinciae suae fines umquam transgressi sunt? Cur me adiurasti et obtestatus es per nomen Domini mei Viventis? Imbecille, relinque me neque mihi sis importunus.» Rursum dixit ei Elias ille novus: «Cur me contemnis? Ecquam in me iniquitatem vidisti? Nonne tute ipse creatura es sicut ego, quippe qui non reverearis nomen Domini tui Viventis? Quis est qui non formidet aut non timeat nomen eius sanctum, quandoquidem caelum et terra eius voce compacta sunt?» Iterum respondit sancto Iohanni angelus nubium et dixit ei: «Nullam in me potestatem habes; et nihil omnino causae

Psalm. 32, 6.

f. 98.

est cur me non sinas pluviam e nubibus fundere D in terram, cum mihi a Domino meo nubium administratio commissa sit.» Rursum dixit angelo nubium Elias novus: «Scito futurum esse ut pluvia non decidat in terram super impios ad ulciscendum sanguinem discipulorum meorum. Immo tibi hoc certum sit: pluvia non decidet, donec tempus eius adfuerit, ad vocem oris mei. Ego presbyter factus sum (4) ad exemplum et similitudinem Domini mei, qui me gratiae suae sigillo consecravit. Neque tu mihi ad formidinem obicias te angelum esse: te non timeo, nec terreo voce tua.» Respondit angelus et dixit sancto Iohanni: «Siccine tu mihi loqueris, ad imitationem prioris illius Eliae, qui nubes conclusit propter peccata domus Achab, quod falsa numina et omnia genera simulacrorum deos sibi fecerant, lignum lapidemque adoraverant, et scelera plurima fecerant?» Respondit angelo sanctus Iohannes eique dixit: «Plura et maiora quam facinora domus Achab <regis¹> Israel sunt flagitia et scelera Ismaelitarum istorum, quibus iura et leges nullae sunt, praeter legem impuri Mohammadis. Quid tandem ab iis bene factum vidisti? Num creatorem suum noverunt, aut in quo ad eius praeccepta se regunt? Quanam ratione ad misericordiam te movent infideles illi, qui non diligunt Dominum meum Dominumque tuum, neque diligunt eius Genetricem? Tu vero quare me contemnis? In quo deterior sum quam Elias propheta? Numquid in dilectione Domini praestabilior fuit, cum ego presbyter sim² ad (litandum) corpore et sanguine Iesu Christi, domini et dominatoris mei, qui per angelum suum me custodivit a teneris annis? Ego confido et glorior in nomine sancto <eius³>. Noli me rationibus urgere: equidem pluvias non solvam, Eliamque prophetam imitabor. Nonne audiisti quod ait Scriptura: «Mul- 1 Cor. 6, 3. to magis in negotiis etiam saecularibus iudicabimus?» Dixit novo Eliae angelus nubium: «Hoc verbum quod ab Apostolis dictum dicis, num tibi quidem ipsi dictum est?» Dixit ei sanctus Iohannes: «Ego disciplinam Apostolorum clipeum <habeo³>. Nonne legisti quod ait liber vitae: «Non pro illis tantum (hoc) dico, sed pro iis qui credituri sunt per verbum eorum in me.» Ego vero illorum praeccepta exsecutus sum, ut Domino meo adhaererem: dictis tuis praecceptisque tuis non oboediam.»

f. 98r.

24. Itaque angelus ad Dominum suum ascendit (et) clamavit his verbis: «Tunc mandasti huic terrigenae ut nubibus imperaret, pluviamque in terram ne demitteret: qui meam potestatem sibi sumpsit, cum tamen ego igneus (spiritus) sim? Quando eos creasti, terram terrigenis dedisti, caelibus caelum.» Respondit angelo nubium Dominus eius in haec verba: «Sine illum neque ei restiteris; nam facultatem ei concessi discipulos suos ulciscendi. Qualia egit

Deus item

Ioh. 17, 2.

23. —¹ Supplev. e contextu. —² Textus: **ΛΟΥΦ**: adolevi vel senui; legendum: **†ΛΟΥΦ**:

ut supra. —³ Supplev. e contextu.

(1) **ክፍተራን**: quod absurde consonat cum **ክፍተር**: (alias **ክፈቶር**) Creta insula. Cf. arabicum **كفر** infidelis. — (2) Nota hic sermonem esse de

mohammadanis. — (3) **ሰላሳ**: *dasipoda*; cf. *Deut.* 14, 17. — (4) Credendum est hoc supra narratum fuisse in aliquo e locis qui ab editore omissi sunt.

Elias

A Elias (pro) suo in me studio, talia quoque iste perficiet, qui nubes constringere ac solvere voluit, Iohannes servus familiarisque meus, qui a tenera aetate legem ac praecepta mea servavit. Is enim (in) omnibus viis suis mihi placuit et in omnibus iustis operibus quae fecit; qui prorsus sine intermissione, neque modo propter discipulos suos (1), pro suo in me studio ieiunia laboresque frequentavit. Noli in eum verbis invehi.»

f. 99.
Iohanni
adiudicat.

Siccitatis
lue

25. Ut igitur angelus nubium creatoris sui vocem audivit, cum sancto Iohanne altercari desiit, et conticuit. Proinde clausum est caelum et nubes constrictae sunt edicto novi huius Eliae et evangelistae. Atque per tres annos mensesque septem (2) in terram infidelem pluvia non decidit, cum interea ad dexteram eorum et ad sinistram, a fronte eorum et a tergo, et in fundos sancti coenobii Bizan (3) plueret. Itaque deficiente pluvia, horum Ismaelitarum terra afflicta est; perierunt oves eorum, omnesque eorum caprae, boves, cameli, equi, muli, asini eorum, universaeque facultates eorum exhaustae sunt, neque illis quicquam fuit residui. Cadavera animantium fetore terram eorum complebant. Ipsi homines deficiente aqua, moriebantur, neque iis erat quod biberent. Postquam autem totius regionis aquam ebiberunt, calore¹ exusti moriebantur. Pauculas autem reliquias, quae ex eorum opibus supererant, diripuerunt gentes et quae prope illos erant et quae procul. Illi autem monachorum interfectores et universi homines eorum acie gladii occisi sunt. Bellum gerere non iam poterant, quia Dominus virtutum irae suae flagellum in eos converterat, et timorem, angustiam, omneque genus detrimenti et calamitatis in eos induxerat. Proinde peccatum intellexerunt, quod miserant, et dixerunt: «His omnibus percussi sumus, quia discipulos occidimus Iohannis et coenobio Bizan, et quia sanguinem eorum effudimus in terram nostram. Vae nobis! eheu! quorsum evasuri sumus, et quis nobis sarciat omnia quae egimus?» Dixit illis quidam propheta eorum: «Nos qui residui sumus, sicut et illi qui iam mortui sunt, gentes nostrae, et homines nostri pariter atque illi moriemur; et terrarum nostrarum heredes erunt hostes nostri. Agite vero, ad illum adeamus.» Itaque egressi e finibus terrarum suarum successerant ad radices montis (4), cum oculis eorum lumen ademptum est, obscurus illis factus est dies; incedentesque hastis suis viam tentabant, sicut² qui annos mensesque non discerneret. Deinde vero cum versus terram suam faciem convertissent, a caecitate sua liberati sunt. Et inter multas lamentationes multosque gemitus ita remanserunt sibi mutuo conviciantes et alii cum aliis conflictantes. Tandem elapsis mensibus quadraginta duobus (5), infideles ad Eliam

B

f. 99v.
domiti
infideles,

C

portentoso
itinere,

angelistamque novum pervenerunt, et in montem Bizan evaserunt.

26. Continuo Iohannem admonuit ianuae custos, ne isti pedem in eius coenobium inferrent eiusque cellam attingerent. Mansit igitur (Iohannes) citra muros. Illi autem cum etiamtum procul abessent, lapides sustulerunt et in colla sua imposuerunt (6). Sanctum Iohannem conspicati cum pavore humi prociderunt atque dixerunt: «Peccavimus, inique egimus, sanguinem discipulorum tuorum effundentes. Afflicti sumus; nostri perierunt homines ac iumenta; neque ex nostris supersumus, nisi qui coram te consistimus; tua quippe imprecatio nos assecuta est. Ante omnia, audi orationem nostram. Nonne tu Magister (7) es aut Magistri filius?» Extemplo iis respondit Elias novus in haec verba: «Equidem nec Magister sum nec Magistri filius; sed Magistri servus, obsequens omnibus eius mandatis, dum vos conspurcati estis ac nefarii, nescientes eum qui vos creavit, qui legem non habetis praeter homicidium. Qui vos genuerunt, patres vestri, in fovea sunt damnationis, et vos pariter atque illi descendetis in eam.» Et increpavit eos atque perterruit. Iterum ei dixerunt: «Novimus et plane perspicimus, ex dictis tuis, scelus quod admisimus. Age vero, nobis ignosce et miserere nostri propter Dominum tuum, Magistrum. Nos vero deinceps mancipia tua erimus et tibi discipulisque tuis serviemus. O pater, pater, ad exemplum Magistri nobis medere.» Tunc dixit illis Elias novus: «Cavete ne iterum peccaveritis; neque mihi poenas vos dedisse existimetis; poenas sed enim a vobis sumpsit Dominus meus; (qui) nunc medeatur vobis.» Tunc dixerunt ei: «Pater, foedus tecum feriamus: quidquid nobis praeceperis tu et liberi tui, nos perficiemus.» Dixit iis: «Verbis vestris hoc edicite.» Dixerunt infideles: «Foedus (cum) Magistro nobis sit, ut ne noceamus discipulis tuis et monasterio tuo.» Et sanctus Iohannes dixit iis: «Sicut nobis Scripturae nostrae praeceperunt, esto, esto hoc foedus nobis monachis.» Quae cum (illi) dixissent abierunt et terras suas repetiverunt, neque violata fide quidquam (amplius) deliquerunt. Elias autem novus Deum precatus est his verbis: «Dimitte illis, quandoquidem resedit furor eorum, ut cognoscant potentiam gloriae tuae. Eia ergo, nubibus praecipe ut pluviam fundant super terram. Tu enim quondam dixisti voce tua, quae mendacii argui non potest: «Et pluviam demitto in bonos et malos, in iustos et iniquos.» Interea infideles ab eo digressi bis mille passuum spatio processerant (8), cum pluvia in eorum terram decidit, et flumina omnia aquis completa sunt; terra eorum aristas virere coepit aridaequae arbores fronderunt.

VITA

ad Iohannem
supplices
adeunt,

3 Reg.
8, 47.

f. 100.
a quo
graviter
obiurgati,

E

foedus
cum eo
sanciant.

Matth.
5, 37.

F

f. 100v.

Matth.
5, 45.

25. — ¹ Textus יְהוָה : legendum : יְהוָה : — ² Textus : quia, אֲנִי : lege : אֲנִי :

(1) Verbum e verbo : sine discipulis suis, id est, si qui dintellego : «ante etiam quam eius discipuli occisi sunt»; nisi pro אֲנִי : sine, legendum est : אֲנִי : propter ultionem (discipulorum suorum). — (2) Vide infra, annot. 5. — (3) Vide infra, § 26, annot. 8. — (4) Advverte idem nomen esse montis et coenobii. — (5) Legendum : quadraginta tribus; et supra, an-

not. 3; et infra, § 32, p. 265. — (6) Vide supra, § 13, p. 259. — (7) Hic et infra, אֲנִי : rabi (= rabbi), hebraeo ritu et stilo. — (8) Haec si presse intellegenda sunt, possessiones monasterii Bizan, illa aetate, nondum longinuos fines attigerant, in quos postea se exporrexerunt. De his, vide CONTI ROSSINI, *Atti della Accademia dei Lincei*, t. c., p. 164-65.

VITA
Monachos
iter
facientes,

a latroni-
bus absens
defendit.

Eliam
monachum
a morbo
sanat.

f. 101^v.
Mehmed
tyranni
protervitas
Luc. 18, 4.

27. Deinde vero sanctus Iohannes fratres iterum misit in terram Baracā (1) qui res monasterii necessarias afferrent. Qui, itineri se committentes, eo pervenerunt quo mandati erant. Homines autem huius regionis Dominum non noverant qui eos creaverat. Noctu ignem conspexerunt eo loco lucentem, ubi advenae illi monachi aderant. Dixerunt homines scelerati: « Venite, ad istos adeamus; occidamus eos eorumque sarcinas omnes diripiamus. » Porro istorum numerus ad quadraginta circiter homines pertinebat omnesque agrestia instrumenta secum habebant. Et ante etiam quam ad illos pervenerunt, his non defuit sanctus Iohannes; qui uni ex iis se ostendens ei dixit: « Proficiscimini ex hac solitudine: adveniunt enim scelerati (homines) qui vos occidant. Excita fratres tuos. » Ille somniasse sibi visus est. Et iterum obdormivit. (Sanctus) eum excitavit; <at ille...> tertium obdormivit. (Sanctus) bacillo suo eum percutiens excitavit. Tum ille excitatis fratribus suis dixit: B « Sanctus Iohannes nobis praesens adfuit nobisque dixit: « Consurgite, nam scelerati homines adveniunt, qui vos occidant. » Dixerunt illi: « Pater, pater, oratione tua sancta defende nos neque nos deserueris. » Quae cum dicerent, repente ad eos scelerati illi advenerunt; qui instrumenta sua agrestia iaculati sunt ut eos confoderent. At eorum tela in ipsorum capita resilierunt, et mortui sunt scelerati illi neque ullus ex iis superfuit. Tribules autem eorum rem non cognoverunt nisi postridie. Monachi converso itinere domum suam pervenerunt afferentes ea quae iussi fuerant, et sanctum Iohannem singillatim osculati sunt. Qui dixit iis: « Vidistisne, filii mei, quae propter vos egerit Deus? Ei gratias laudesque agere ne intermiseritis; neque hoc factum hominibus retegite. » Dixerunt monachi: « Utique vidimus, pater, virtutem orationis tuae sanctae et excelsae, quae nos e sceleratorum manibus eripuit. Et ipse Dominus noster admirabilis est in iis quae per te nobiscum egit. »

28. Rursus aliquis ex eius discipulis, cui nomen erat Elias, gravi crudelique morbo correptus est, neque poterat caput sursum erigere. Qui gemitus clamoresque erumpens cuidam dixit: « Vade, dic patri nostro me morti proximum esse, ut veniens oratione sua me salvum faciat. » Itaque sanctum Iohannem monuerunt, qui ad illum secreto accessit, neque cernentibus eum monachis, manum in caput illius imponens eum permulsit. Et ex eius naribus pus exsiliit; vermes et cruor ex eius ore defluerunt et continuo revixit. Dixit ei sanctus Iohannes: « Noli timere; Deus enim te salvum fecit. Surge, neque dormites quasi aegrotans. »

29. Rursus illa tempestate fuit princeps quidam nomine Mehmed (2). Hic infidelis erat, impius et superbus, qui neque Deum timebat

neque homines reverebatur. Dixit ille pro superbia cordis sui: « Adducite mihi e monialibus, patris Iohannis discipulis (3), puellas venustas et formosas, quae mihi sint concubinae, et ex iuvenibus formosissimos quosque; his equos ad equitandum comparabo. » Dixerunt autem huic infideli duces eius militares: « Numquid Iohannem non novisti? Nihil tale feceris nam quidquid ille dixerit, Magister ei perficiet. Ne indignatione (sua) te persequatur, cave in animum inducas eius modi consilium. Ille tamen eorum dictis obedire noluit. Ut autem de hoc facinore inaudit sanctus Iohannes, ira et indignatione commotus, accessit Saraqa Berhān puerum suum (4), cui dixit: « Vade et infideli isti haec dicit: « Pristinos homines illos, » qui, ante hanc aetatem pariter ac tu superbe » se extulerunt, Nabuchodonosor, Nemrod, Sen- » nacherib, Tyrosidonium (5), Pharaonem cum » eius exercitu exstinxit delevitque Deus. Te » itidem pariter atque illos delebit et extinguet » Deus a facie terrae, quia foedum consilium ex-

E cogitasti, quod non perficietur. » Postquam vero haec illi dixeris, terram bacillo suo percuet et consurget coram te (humi) se volutans. » Abiit Saraqa Berhān, et huic infideli nuntium pertulit sancti Iohannis. Qui dixit: « Numquid ego sum Tyrosidonius? » Deinde ille retro profectus iter suum perrexit. Continuo ad infidelem illum advenit satanas, et eum concutere coepit quasi ventus procellae; omnia eius membra obduxit et viscera complevit. Qui corruens rudere coepit quasi asinum, a prima luce usque ad horam nonam. Deinde surrexit nudus, abiectisque vestibus suis saltitare coepit sicut vulpes quae sunt in vasta illa solitudine et aufugit in domum; elingue factum est os eius, eique adempta est facultas loquendi. Consanguinei eius omnesque (duces) exercitus eius cum haec cernerent, illacrimati sunt dicentes: « Nimirum hoc ei dixeramus, sic eum affati: « Noli inique agere et in terram Iohannis ne ingrediare; ne moriaris » neve te ipse perdas. » Quid igitur ei dicamus? Aut quid ei adhibeamus, quandoquidem vivere iam non potest? » Deinde vero, ille, dum in domo est, in ignem decidit, (flammis) circumvoluta sunt membra eius et egesta sunt eius corporis viscera. Extulerunt eum ex ista domo et in solitudine sepelierunt.

f. 102.
prodigioso
interitu
plectitur.

F

30. Iterum, die quodam, cum esset sanctus Iohannes in cella sua sancta, advenit anguis quidam terrestris, qui oram vestis eius attingit, et continuo factus est quasi ellychnium igni ardenti admotum. Erat autem altitudo huius anguis triginta septem cubitus et duo cubitus latitudo. Quod cum vidissent fratres, tremore et pavore correpti sanctum Iohannem mortuum existimarunt. Qui dixit iis: « Remove a me hunc impurum. » Illi admirabundi (anguem) ex-

Attactu
Iohannis
draco in-
terficitur.

27. — ¹ Nonnulla desunt. — ² Textus: eorum.

(1) Sive: in solitudinem, silvam, cf. CONTI ROS-SINI, t. c., p. 156. — (2) I. e. Mohamad. Ergo is etiam moslemus erat. — (3) Coenobio Bizan, regnante Zarea Iacob, subdita erat tria feminarum asceteria, in quibus 1146 moniales numerabantur. DILLMANN, Ueber die Regierung des Königs Zar'a-Jacob, loc. c., p. 46. — (4) Vide Comm,

29. — ¹ Textus: quando, አገዛ: lege: አገገ:

praev. num. 9, supra, p. 250, annot. 19. — (5) አገገ: አገገ: Siruaidān, i. e. Tyrius et Sidonius, nomen fabulosi cuiusdam regis qui inducitur in aethiopicum librum Maccabaeorum. Vide DILLMANN in lexico, col. 1424.

-tulerunt

A tulerunt atque in deruptum locum praecipitaverunt.

Arcana mentium
f. 102^r.

31. Contigit etiam aliquando ut sanctus Iohannes ad erudiendos fratres e cella sua egressus inter eos consideret. Et ad eos verba faciens iis interpretabatur Vitam patris Macarii. Pervenit autem ad locum ubi dicitur: «Omnia quae in pectore hominum erant perspiciebat Macarius, quasi in speculo aut sicut (perspicitur) aqua quae est in crystallo (1).» Quae cum audivisset Gabra Amlāc (2) monachus, dixit: «Numquid fieri potest ut inter homines talis reperitur?»

perspicit Iohannes.

Porro sanctus Iohannes a Spiritu admonitus quid ille cogitaret, inter fratres quidem nihil dixit; at postquam ad suam quisque domum redierunt, misso nuntio illum arecessivit. Qui adveniens coram eo constitit. Dixit ei: «O Gabra Amlāc, quid tibi in mentem venit postquam audiisti de Vita patris Macarii?» Subinde monachus animo angustatus coepit ingentique timore correptus loqui non poterat. Dixit ei: «Loquere neque timueris.» Dixit ille: «Sic cogitans mecum ipse dixi: «Numquid fieri potest ut reperitur talis homo super terram?» Dixit ei sanctus Iohannes: «Verum dicam tibi neque te celabo, ut qui vester praeceptor sim. Ante hosce dies fuit inter vos (homo) cui gratia multa data est in caelo et in terra, sicut Macario.» Haec de semetipso dicebat sanctus Iohannes. Dictum illud admiratus est monachus iste. Ipse equidem eum dicentem audivi (3): «Etiamsi uno die mille homines coram me assistant, ne unius quidem ex iis mores me fugiunt.»

B 32. Rursus, eius aetate, prodiit monachus quidam qui cum altero litigaverat. Abiit ad Isaac regem (4), (apud quem) criminatus est sanctum Iohannem omnesque monachos qui in coenobio erant, his verbis: «Sacra facere solent sabbato et dominico, quod feria sexta fieri debet (5), atque arcam (6) suam bubulo adipe inungunt.» Dixit rex huic criminatori: «Vide seduloque rescisce quid fieri solet in Aethiopia.» Dixit ille: «Sedulo (id) rescivi et perspectum habeo.» Proinde rex indignatione percitus principibus suis mandavit ut sanctum Iohannem interficerent, huius discipulos pariter interficerent eiusque coenobium excinderent. Dixerunt autem regi principes quibus (hoc) praeceptum dederat: «Non ibimus, neque a nobis fieri potest ut ad coenobium eius ascendamus. Audivimus enim et certo nobis constat, <eum esse qui> instar Eliae prophetae caelum per annos tres

A fugitivo monacho
f. 103.
insimulatus sacrilegii

mensesque septem coercuerit; prodigia permulta ab eo fieri, et eos quibus maledixerit a daemoniis (oppressos) interire.» Dixit Isaac rex militibus suis: «Numquid verum est hoc verbum quod dixistis?» Dixerunt ei: «Profecto verum est et mendacii expers.» Dixit (rex) militibus suis: «Adducite criminatorem istum.» Cum autem satellites hunc monachum adduxissent, dixerunt ei: «Verbum quod coram rege dixisti, nonne mendacium est? Vera loquere.» Dixit illis: «Quaecumque locutus sum, mendacia sunt. Ex quo enim sanctum Iohannem criminatus sum, me percussit ira Dei.» Et continuo ex ore suo sanguinem evomit, lingua eius erupit, effusa sunt omnia intestina eius, sicut (accidit) Ario exsecrato, et mortuus est. Audivit autem rex a satellitibus omnia quae cum illo acta erant. Cohorruit et admirans dixit: «Commendo me precibus sancti Iohannis et precibus omnium discipulorum eius.» Et in regis pectus sancti Iohannis caritas insedit, atque missi nuntii eum (rogavit) ut pro se precationem faceret. Procere autem regis litteras ad eum scriptas dederunt de omnibus quae evenerant. At sanctus Iohannes, ut qui arcana perspicere, ea quae contigerant, necdum sibi narrata cognoverat; et ad discipulos suos verba faciens dixit: «Si Deus nobiscum est, non erit qui nos vincere possit.»

33. Datus ei divinitus fuit spiritus industriae ac roboris. Et condidit ecclesias tres, ex quibus unam diebus uno et septuaginta exaedificavit, quam appellavit aedem Marmehñām (7); alteram quadraginta sex diebus exaedificavit, quam appellavit aedem Gabrielis (8); tertiam quadraginta diebus exaedificavit, quam appellavit aedem Michaelis. In hac deinde precationem faciens dixit: «De profundis clamavi ad te Domine, Domine exaudi vocem meam; et sint aures tuae attentae ad vocem petitionis meae. Ostende mihi vultum tuum et vocem tuam fac ut audiam. Vox enim tua suavis est et vultus tuus decorus. Exhibe mihi benevolentiam tuam in hoc sacratio quod condidi titulo Michaelis angeli consilii tui, quem constituisti custodem omnium sanctorum mandatis tuis obsequentium, custodemque meum inde ab infantia mea. Tu autem Domine, Domine mi, laetifica me et consolare me; quoniam tui amorem impense colui, labores plurimos exanclavi et omnia aerumnarum (genera) me affecerunt. Ne abicias me sed respice me, sicut respexisti martyres tuos, sanctum Georgium, sanctum Victorem, sanctum Aba Nob (9) et

VITA

accusatoris terribili morte

Act. 1, 18.
f. 103^r.

defenditur.

Rom. 8, 31.

Ecclesiae tres a Iohanne aedificatae.

Psalm.
129, 1-2.

Cant. 2, 14.

F

f. 104.

32. —¹ Supplev. e contextu. —² Textus: *is*.

(1) Hanc sententiam his verbis expressam in Macarii Vitae non reperimus. — (2) I. e. *servus Domini*. — (3) Vide Comm. praev. num. 18, supra, p. 254. — (4) Qui et Gabra Masqal (*servus Crucis*). Regnavit a mense iunio anni 1414 ad augustum anni 1429; cf. GUTSCHMID, apud W. WRIGHT, *Catalogue of the Ethiopic Manuscripts*, p. VII; cf. BASSET, *Études sur l'histoire d'Éthiopie*, in *Journal Asiatique*, ser. 7, t. XVII, p. 325-26; t. XVIII, p. 133-35. — (5) Verbum e verbo: *jit*. — (6) I. e. *aram* vel *altare*. — (7) መርምሳፍ: *Marmehñām*; in synaxario aethiopico ad d. 14 tachsas: መርምሳፍ: *Marmehñām* (ZOTENBERG, *Catalogue des manuscrits éthiopiens de la* *Novembris Tomus IV.*

bibliothèque Nationale, p. 167), vel መርምሳፍ: *Marmehñām* (LUDOLF, *Commentarius ad historiam Aethiopicam*, p. 401). Fuit autem Mär Behñām martyr persa, cuius Acta syriace exstant. BHO. 177. De nomine dicitur infra, ad diem 10 novembris, ubi de Actis SS. Narsis et sociorum (*Vahunam*). — (8) Vid. supra, § 20, p. 261. — (9) Is est martyr Aegyptius de quo BHO. 72; cf. *Anal. Boll.*, t. XL, pp. 101, 107, 109, 111, 128, 138-39, 141, 145, 148. Cognominem eius Anub confessorum memoravimus in Comm. praev. ad Vitam S. Timothei episcopi Antinoi, num. 3, supra, p. 115.

- VITA Aba Carazun (1) martyres, horumque pares, qui propter te condemnati fuerunt et victores evaserunt¹, quoniam illis impertivisti divitias gratiae tuae increatae. Mihi autem sicut et illis divitias tuae gratiae impertire; atque laetabor et exultabo in te.
- Psalm. 9, 3.
- f. 106. **Instantis mortis admonitus**
- Is. 18, 1.
- B **fratres hortatur,**
- f. 106v.
- Act. 20, 32.
- 2 Petr. 1, 14.
- E
33. In fratribus exercendis perseveravit annos quadraginta quinque. Deinde duodecimo die (mensis) iacāit, oranti sancto Iohanni praesens adfuit Michael archangelus, qui dixit ei: « Advenit (tempus) migrationis tuae ex hoc mundo fragili; compone et instrue domum tuam. (Iam) transiturus es ad Dominum tuum, ad <coronam²> vetustatis et corruptionis experitem, quae tibi reposita est. » Dixit ei sanctus Iohannes: « Fiat voluntas Domini mei, qui perfecit omnia vota mea, quae ab eo expetivi, (nihil) mihi negare solitus. » Exinde senescere coepit, et illi aetas exacta est, cum annos natus esset novem et septuaginta. Tum levi morbo correptus est neque tamen adhortari fratres intermisit. At cum in singulos dies vis morbi gravium eum urgeret, dixit illis: « Audite me, fratres; non is equidem fui qui vos celarem vobisque reticerem quiddam ex praeceptis Dei. Vos custodivi quasi palmam auream et abscondi vos quasi gemmam pretiosam, neque vos dissipavi in mari mundano, neque vos deduxi inter gentes, neque vos permiscui cum incolis mundi. Vos autem, fratres mei, si leges iustitiae observaveritis, quas praestituimus vobis ego et pater meus Philippus, scitote Deum nobis misericordiam non subtracturum esse, vosque ad quietem perventuros esse ad quam nos pervenimus in regno caelorum. Hoc etiam animis sive corporibus non satis prospicerem. Commendo vos Deo in Spiritu sancto, qui ad vos aedificandos valebit. Recordamini autem dictum Petri Apostoli sic aientis: « Scio mox futurum esse ut a vobis discedam, sicut dominus noster Iesus Christus significavit mihi. » Et perpetua sedulitate curabo ut post me similes mei sitis et reminiscamini omnia quaecumque dixi vobis. »
35. Illi autem cum suavem sancti Iohannis vocem audivissent, ei dixerunt: « Pater, cur nos deseris, aut cur gregem tuum derelinquis? » Eique fletu acerbo illacrimati sunt. Dixit iis sanctus Iohannes: « Lugentes lugete, sed mihi videtur conquieturus esse luctus vester. » Et vaticinatus est iis omnia quaecumque post eius (obitum) iis eventura erant. Neque verbum vel unum dicendo praetermisit, sive parvum sive magnum. Deinde dixit illis: « Post mortem meam frequens sit commemoratio mea in ore omnium vestrum, cum vobis evenerint omnia quae praedixi vobis; et nulla vobis hora praetereat in qua mei nominis non reminiscamini. » Quibus dictis, advocavit Saraqa Berhān (2), eumque coenobii patrem constituit. Et benedixit eum secundum regulam iustitiae eique dixit: « Custodi fratres tuos in praeceptis Dei, et in regula quam instituit pater meus Philippus; et quam ego institui regulam iustitiae, eam pariter observa. Hanc enim tu probe didicisti, quippe qui cum utroque nostrum vixeris (3). Quod si eam observaveris, res tibi prospere succedent in omnibus viis tuis. »
36. Haec omnia postquam effatus est, coenobia omnia spiritali benedictione benedixit. Et ait (fratribus) illis: « Qualis est dies hodiernus? » Dixerunt ei: « Festum Michaelis archangeli, dies duodecimus mensis chedar. » Dixit illis: « Hoc die natus sum; et quoniam exoptavi ut hoc etiam die vitam finirem, Deo etiam placuit ut in illo me accesseret. Sed eum rogavi ut postridie huius diei hoc mihi praestaret; et exaudivit orationem meam, ut hoc gaudium et requies esset fratribus qui meam commemorationem facturi sint, plurimo cum studio et diligentia. » Subinde dixit sanctus Iohannes: « Aperite mihi portas iustitiae, ingressus in eas laudabo Deum; quoniam haec est porta Dei, iusti ingredientur in eam. » Fratres autem qui apud eum aderant dixerunt ei: « Pater, quid est hoc quod dicis? » Dixit iis sanctus Iohannes: « Septem caelorum portae mihi apertae sunt; et ad excipiendam animam meam egressi sunt excubitores caeli omnes, coetus prophetarum, apostolorum, martyrum, pater Eustathius paterque Philippus parentes mei, et omnium coetus iustorum, monachorum, eremitarum, cum Iesu eorum Domino et Maria matre eius. » Et postquam his verbis eos allocutus est, domus fragranti odore completa est, qui aromatum suavitatem superabat. Ut autem advenit hora sexta noctis, in die dominico (4), signo crucis faciem suam signavit. Et continuo egressa est anima eius veneranda et innocens. Atque suavi cum praeconio extulerunt eum dicentes: « Memoria iusti sempiterna erit. » (Haec qui audierunt, monachi (et) ascetae, in admirationem coniecti sunt. » Fuit autem dies obitus eius decimus tertius mensis chedar (5).
37. Equidem vestra causa perscripsi, quae auribus meis audivi a discipulis eius fidelibus. Et mihi metipsum contigit oculis meis videre miracula quae patravit, cum ad eius pedes (6) adulescerem (7). At si litteris singillatim mandarentur omnes eius virtutes eximiae et praeclarae dicta, profecto defatigaretur scriptor, et languesceret anagnostes et auditor obdormisceret. Neque existimetis ex eius miraculis et prodigiis

33. — ¹ Textus: *vicerunt eos*, $\Psi\chi\theta\sigma\sigma$: legendumne: $\chi\theta\lambda\theta\sigma$: *victores eos fecisti?*

(1) $\chi\theta$: $\eta\zeta\theta$: , in quibusdam synaxarii codibus ad diem 25 mensis hamle: $\chi\theta\eta\zeta\theta$: *Abaerazun*, vel $\chi\theta\eta\zeta\theta$: *Abaerzun* (ed. I. GUIDI, *Patrologia Orientalis*, t. VII, p. 414-18). Idem est martyr Aegyptius nomine *Abcaragan* (alias *Abcaragan*, vel *Bacaragan*), cuius elogium e fabulosa quadam Passione contractum legitur in synaxario Alexandrino ad d. 25 mensis abib. Ed. J. FORGET, in *Corpus script.*

Christ. Orient., ser. 3, textus, t. XIX, p. 244-46. — (2) Vide supra, § 25, p. 263, et Comm. praev. num. 9, 16, 17, pp. 250-51, 254. — (3) Vide Comm. praev. num. 9, p. 250, annot. 21. — (4) Vide Comm. praev. num. 15, supra, p. 253. — (5) Novembris 9, qui in dominicam incidit an. 1449, ut dictum est Comm. praev. loc. c. — (6) Verbum e verbo: *sub eius pedibus*. — (7) Vide Comm. praev. num. 18, supra, p. 254.

A unumquodque litteris mandatum esse; sed paucula tantum, fide mea, vobis rettuli, nec potui ad dimidiam partem pervenire. Quamobrem, quae de eius gestis, doctrinis, consiliis vobis rettuli, perinde sunt ac si homo aliquis, occiso tauro, pellem ei detraheret carnem vero proi-

ceret neque illius adipem attingeret. Haud aliter et nos ad intima facinorum eius non pervenimus sed eorum superficiem verbis expressimus.

Oratio et benedictio sancti Iohannis sint cum omnibus nobis in saecula saeculorum. Amen.

VITA

DE B. HELENA HUNGARA

SANCTIMONIALI ORDINIS S. DOMINICI

COMMENTARIUS PRAEVIUS

C. AN: 1240

Legendae
antiquioris
codices.

1. Beatae Helenae Vita tribus formis nobis tradita est. Ex his quae ab archetypo propius videtur abesse in tribus codicibus servata est, quorum duo in bibliotheca communi Senensi habentur, tertius in conventu Fratrum Praedicatorum Bononiensi. In Hungaria, quae B. Helenae patria fuit, haec nullum eius Vitae exemplum reperitum est. Iamvero de codicibus illis quidem haec pauca notanda sunt.

S 1 = Codex T. I. I. bibliothecae Senensis, membraneus, 122 foliorum, 0^m,305 × 0,215, binis columnis, scriptura nitida saeculi XV exaratus. Litterae initiales aliquot ornatus pictae sunt et in littera quidem N, qua nostra legenda exorditur, descripta fuit beatae Helenae imago, cuius manus et pectus stigmata gerunt unde lilia alba videntur efflorescere. Complectitur codex, fol. 1-118, legendam maiorem S. Catharinae Senensis a Raymundo Capuano, et fol. 118-122, legendam B. Helenae Hungariae. Pertinuit codex ad conventum Fratrum Praedicatorum Senensium. Saec. XVIII a matronis civitatis opipare colligatus fuit. In cuius rei memoriam scidula inserta fuit in qua haec leguntur: Questo volume contiene la leggenda di S. Caterina da Siena, composta in latino dal B. Raimondo da Capua suo confessore e generale XXIII de' Predicatori, e dal medesimo Raimondo fu mandato al convento di San Domenico di Siena insieme coll' altre opere della santa. Come ascrisse il B. Tommaso Caffarini nel processo pro la canonizzazione della santa, a car. 17, che si conserva legalizzato dentro la custodia della sagra testa, dove dice che fin dell' anno 1396 i detti volumi si trovavano in questo convento. Da questa leggenda anno tolte tutte le notizie di S. Caterina gli altri scrittori della sua vita come il B. Tommaso Caffarini, il B. Massimino da Salerno, S. Antonino, Pietro Esquilino, il Surio, il Manerbio, il Ribadeneira, il Borghesi, il Caterino, i Bollandi et altri etc. Fu trasportato questo manoscritto dall' antico archivio nella sagrestia fra le reliquie della santa l'anno 1705. Haec librarius saec. XVIII non admodum erudite. Nempe hoc volumen in conventu Senensi inde ab anno 1396 assevatum fuisse

non potuit, neque a B. Raymundo Capuano, qui anno 1399 mortuus est, mitti, quandoquidem legenda B. Helenae in Italiam transmissa non fuit ante annum 1409, ut infra dicitur. Probabilius coniecit v. d. Robertus Fawtier (1) illud esse unum e quattuordecim codicibus quos, circa annum 1414, auctore Thoma Caffarini, Nicolaus et Aldobrandinus de Guidicioni in bibliotheca Fratrum Praedicatorum Senensium deponendis curarunt inter alia documenta quae ad causam canonizationis S. Catharinae Senensis pertinebant.

S 2 = Codex T. III. I. eiusdem bibliothecae Senensis, chartaceus, 172 foliorum, 0^m,280 × 0,200, binis columnis a duobus librariis dimidiato iam saec. XV exaratus. Complectitur legendam maiorem S. Catharinae, varia opuscula ascetica et, fol. 143^v-145^v, legendam B. Helenae. Is etiam pertinuit ad conventum Fratrum Praedicatorum Senensium ubi saec. XVIII compactus fuit. Videtur iste e codice S 1 descriptus fuisse a quo praeter minutas aliquot grammaticas varietates, paucis mendis discrepat. Codicem pro nobis officiosissime contulit R. P. Taurisano O. P.

S 3 = Codex in conventu Fratrum Praedicatorum Bononiensium servatus, chartaceus, 0^m,230 × 0,180, saec. XV variis manibus exaratus. Complectitur Vitas sanctorum et beatorum ex ordine Praedicatorum, inter quas, fol. 68^v-70^v, legenda B. Helenae descripta fuit, manu, ut videtur, teutonica et certe non italica. Hunc etiam codicem pro nobis contulit P. Taurisano. Textus tam prope accedit ad codices S 1 et S 2 ut ex eorum alterutro descriptum eum credideris. In isto quidem versiculus in § 2 propter homoeoteleuton intercidit. Insuper in § 14 notatur lacuna eadem quae habetur in codicibus S 1 et S 2, fortasse quod in archetypo hungarico aliquot verba legi non potuerunt.

2. Praeter haec tria exempla, duae recensiones servatae sunt. Harum prior (= D) legitur inter opera Hieronymi de Bursellis Bononiensis (1432-1497), qui in sua Cronica Magistrorum generalium ordinis Fratrum Praedicatorum et omnium gestorum sub ipsis et clarorum virorum eiusdem ordinis in scientia dignitate et sanctitate appendicem inseruit complectentem Vitas aliquot sanc-

Recensiones

Hieronymi de Bursellis

(1) R. FAWTIER, *La Vie de la bienheureuse Hélène de Hongrie* (Rome, 1913), p. 10. Extrait

des *Mélanges d'Archéologie et d'Histoire publiés par l'École Française de Rome*, t. XXXIII, -lorum